


V
B
J
C



DOMINA PALATIJ REGINA LIBERTAS

Seu

FAMILIARE

Amicorum

COLLOQUIUM

De

Statu, Libertatibus, & Juribus.

Regni ac Rei-Publicæ Poloniarum,

ubi

Malevole extraneorum Obtrectatorum objectiones

Solidè & Eruditè

REFUTANTUR

Primis Typis Polonicè olim mandatum

nunc verò Latinè redditum

Ab

Ænea Philone de Cantia Mascarino

Liliato Cive Cennio.

LIBEROPOLI

Apud Candidum Veriscribium

MDCCXXXVI.

Cantia Cantium Kent Regnum olim Saxo-Anglorum in Mágna Britannia Cenni Populi Germaniæ inter Celtas à Vetustis Sauromatis orti, (uti apud Authores) cum quibus testantur Xiphilinus Caracallam bellum gessisse. *Ven: Beda. Hoffmann in Lexico Universali. Martiniere in Dictionario Geographico. Cellarius Notitia Orbis antiqui. Baudrand in Dictio: Latino. Strabo. Waldensels. Reiskius.*

Author Libri Polonicè editi ad Lectorem.

Libertatem à libertate non noſci, grande piaculum exiſtimavit magnus ille apud Tacitum, & verè Civilis Plato. Sordidæ ſervituti natum putat illum, qui libertatis decus ignorat. Catilina hoſtis licèt, imò carnifex (ita illum Cicero apellat) libertatis, indignum vita cenſuit illum, qui animam liberi populi nempè Libertatem non ſpirat. Qui ergò libertati natus ſimili aut duriore cenſurâ notari non vult, mecum hic libertatem expendat, & ego quidem diffuſiore ſermone ſub amico aliquòt Nobilium colloquio ſi non ſatis erudite, ſatis certè laborioſè libertatis natales, pretium, fundamenta, pericula, cæteraq; id genus Nobili juventuti aliquãdò circumſcripta tradideram, hic tamen quia prolixior, ſic in Iliadem præſentem materiam contraho, atq; in breve veluti redigo compendium, omnibus, quæ ad rem non faciunt, etiam nominibus diſcurrentium prætermiſſis. Illud vero ante omnia monitum Te velim, quod in Pentagonum præſentis Palatij ad initium Columnæ primæ monueram, nimirùm non eò hac ſpectare, ut Rempublicam Statumvè carpam, ſed ut teneræ Juventutis ad Libertatem natæ ingenia aliquo politicæ eruditionis decoro, notitiaq; Libertatis Polonæ imbuam, ſic itaq;.



DIES

ILLUSTRISSIMO
&
EXCELLENTISSIMO
DOMINO DOMINO
ADAMO THADÆO
Comiti in Petrykow & Turzec
CHODKIEWICZ
PALATINO BRESTENSI,
Wielunenſi, Błudnenſi, Daugieliſcenſi &c. &c.
CAPITANEO.
Equiti Ordinis Aquilæ Albæ.




EGINA LIBERTAS, fauſtum felixq; *videtur conſcendere Solium, dum Tuos Emeritiſſimos contendit Pænates,* JLLUSTRISSIME & EXCELLENTISSIME DOMINE. *Haud potuit proſperiori paſſu, Regio Regnatrix LIBERTAS commendata ſtylo, omniq; Soli æmula dilucidata eruditione, in publicam progredi Lu-*

cem,

quam sub omine venerandi Orbi Nominis, sub Prælo Gloriosissimi Palæmoniæ Senatoris, sub Avitis Tuis videlicet Purpurate Heros Armis. Si enim Regum Regnorumq; amores? cor vitæ liberæ? offert se TIBI Libertatis Prototypon, Si virtutum meritorūq; CHODKIEVICIANÆ Prosapiæ compendium? Prædecessorum Tuorum, prima pro Libertate cura, labor, defensio, TIBI ad gloriam, Lechico Orbi exponitur ad exemplum: Si deniq; præclariùs omnium Dignitatum Sacrarium est? Imperiū LIBERTATIS, Salus Patriæ, quà nil in vita carius, TUÆ Sago & Toga insignissimæ Domui consecrandum existimatur. Quid quid enim ambit Patria, hic reperit; è Prosapia TUA, seu è quadam Luminum Patria, ipsa pro tuenda Libertate producta terrestria Numina, erupti usq; ad invidiam Gentiū radiant Clypei, hic Principum Diademata, Heroū & Patrum Patriæ hæreditarunt Laticlavia, Hic Togati fulgent Proceres, Trabeatæ resplendent Curules, quorum merita & gesta Orbi Sarmatico clarissima, Delfica nunquàm satis celebrarent Oracula. Viderat Orbis pallidam Ottomanorum decrescere Lunam, audierat Sarmatia, paventem, non rugientem Septentrionis Leonem, quia ad ipsam Famam, magni Victoris CAROLI CHODKIEVICII tremefieri debuerant. TU quoq; neq; aliud præstare intendis ILLUSTRISSIME & EXCELLENTISSIME DOMINE, nisi inclytæ Libertatis, Juriumq; ejus gerere Assertorem & Propugnatorem: postquam TE paribus insignitum splendoribus, tot Majorum Tuorum circum fusum Ceris,

Le-

Lechicus congloriari ſibi cæpit Senatus, applaudit nimirum, quod parem oneribus reperiat Athlantem. Suſcipe igitur hanc devinctiſſimi Animi Noſtri teſſeram, illo pleniſſimo gratiarum vultu, quem ab ipſa accepiſti Indole, Nos verò, Superos ſupplici depoſcemus voto, ut TE Noſtrum Munificentiſſimum ex erectione Patronum, amplioribus onuſtum Honoribus, vix compari ornatum Gloria, immenſa Annorum cumulent amplitudine, ut expectatio publica Civium, ardentis Reipublicæ ſolatium, Noſtriq; Cænobij vigeat & coronetur Protectio: ita humillimo vovemus pectore.





DIES PRIMA

Eruditi aliquod amicorum de Libertate Colloquij.

Primó differitur

Quid sit vera & genuina Libertas?

I INimicum is servili livore debuit imbuere calamum, qui libertatem, (1) *honestam insolentiam, & insolens decorum* esse asseruit. Nos talem Libertatem ad Muscas & mimos relegamus, quibus insolescere quolibet in Convivio etiam non invitatis licet. Satiùs dicimus & sentimus cum magno illo Statista & Oratore Romano: (2) *Libertas mihi erit rei à se, vel ab alio proposita voluntarium intra terminos recti & honesti studium, vel neglectus.* Verûm est quod sicut (3) *nihil est beatius homine liberô,* ita *nihil miseriùs non liberô.* Verum & id quod *hominis abjecit speciem, imò homo desijt esse, qui est Libertatis Jure exutus.* Attamen (4) *ad salutem licet humani generis concessa Libertas, si insolentiæ scelerumq; lædatur confinio, teterrimam proflabit pestem.*

2. Dicimus & agnoscimus, quod (5) *nemo sanus licentiam appellat Libertatem, temeritas potiùs, audacia,*

 furor,

(1) *Joachim Lepidius Lipsius.* (2) *Boetius.* (3) *Livius idem* (4) *Idem.* (5) *Plutarchus.*

furor, impudentia, quàm Libertas dici meretur. Scimus, quod amplè nimium dilatet, in altum extollat, profundè ſolidet fortunam ſuam Libertas, non tamen altitudine rationis terminos, non latitudine recti & honeſti metas, non profundo virtutis & conſcientiæ centrum debeat excedere. Pridem Orbis ejuſmodi exploſit Libertatem, qualis olim fuit Ulyſſi conceſſa (6) *qui convivio Deorum exceptus petijt, quid ſibi liberè apud eos exercere liceret? omne id quid quid homini liberum non eſſet, reſponderunt.* Talis Libertas in Regno Bacchi potiùs quàm in Chriſtiano Dominio locum habere debet, quem exeo nominant *Liberum Patrem* (7) *quod homines quidquid velint & poſſint facere, permittat, atq; omni metu ſceleribus debito liberet.*

3. Inordinata quoq; eſt & illa Libertas, quali olim fruebantur *Sirvenenſes*, (8) *in quorum congreſſu ut maluit & valuit quiſq;*, concinebat, eo obtentu, quòd liberæ voces & ſenſus, natæ ad Libertatem Gentis poſſint diverſùm ſonare; Si tamen ex vario hoc ſentiendi modulamine non unum edant *boni publici reſpectum*, æquè ac unum Concentum & harmoniam, jam id non ordinata Libertas, ſed *Sirvenſis* confuſio erit: Utilem valdè in hoc dat cautionem Libertati noſtræ *Orzechovius*: Non fruſtra (dicit ille in manuſcripto) ipſi Libertatis Parentes Anteceſſores Noſtri, cor Patriæ ſuæ, pupillam Gentis ſuæ, eandem Libertatem nominarûnt; Utrumq; id, tàm cor, quàm pupilla quia ſunt circa excellentiam ſuam delicata, maximam exigunt vigilantiam, ut in integritate ad bonum & commodum humani corporis conſerventur. Si enim excesſûs alicujus acceſſio, ſi vitioſus humor temperamentum eorum corrumpere incipiat, cor noxia & ſubindè mortifera ſymptomata, pupilla caliginem in totum corpus derivabit. Mihi jam non tantùm aurea,

(6) *Com: natal:* (7) *Helicarn:* (8) *Valer: Max:*

rea, ſed ſupra ipſum cor & pupillam magis dilecta Libertas mea, o ſi te noſſes!

O bona Libertas aurô pretioſior omni!
O primum ſummumq́ bonum! quô triſtè peremptô
Nil grâtum, nil dulce viris, ſed vivere mors eſt.

Si agnata vitiorum mala veluti corruptivos & peſtiferos humores arcere velles, aut ſaltem hauſtam jam licentiæ peſtem ſanare ſcires, ſi intra honeſti & recti terminos conſiſteres, ſi magnum hoc Reipublicæ Auguſtale in præcipitium fatalis licentiæ non protraheres, quàm nobis & tibi benè foret!

4. Abominanda eſt illa Libertas, quam olim habuit Maritima Inſula *Cous* vocata (9) ubi *qui faſti, qui nefaſti Dies; qui boni qui mali Dij, & quibûs ſacrificijs colendi eſſent, cuiq́ de populo ſtâtuere integrum fuerat.* Digna conſideratione & memoriâ illa ſapientis Poloni verba: *Amo Libertatem in Curia, in Senatu ſuſpicio, in armis prædico, ubiq́ veneror, ubiq́ depereo, ſed tamen non ad aras, mihi enim Libertas religionis non politiam, ſed Polytheam, hoc eſt confuſionem, turbas, ſeditiones, peſtem Rei-Publicæ redolet.*

5. *Differitur, quinam primi fuerunt Natales Libertatis?* Qui vellet primas Libertatis cunas evolvere, huic Sapiens Plato ipſum initium Orbis indigitabit. *In ipſis ſtatim naſcentis Mundi incunabulis immortalis hæc portio Deitatis conceſſa hominibus cum mortalibus ſimul apparuit.* Hæc tamen Libertas quam rationalis natura veluti inæſtimabilem Unionem cum prima ſtatim mundi exiſtentia ferè in dotem à Creatore cunctarum rerum accepit unà cum hominibus per campos & ſylvas ſparſis, habuit aliquid commune cum feris, agreſti ſolitariâ & inculta Libertate gaudentibus. Poſtquam vero homines poſitâ feritate turmatim ad ſocialem vitam confluere cæperunt, dum ſe vel voluntariè electis à

 ſe

(9) *Roſinus.*

fe Ducibus fub imperium fubmiferunt, vel vi & violentiâ coacti potentioribus parere debuerunt, hi tyranni adducto altiùs fuperbæ Dominationis fupercilio, quamvis non affvetos ad fervilem fubjectionem affvefecerunt, & ingenita fpoliarûnt Libertate, qui tamen expoft refumptis animis grave fervitutis jugum excutere, a fervitute ad ingenuitatem, a tyrannide ad popularem Libertatem devenire cæperunt; ad quod quia primum Græciæ fefe refolverunt nationes, ibi proinde emortua illa prima cum natura accepta Libertas quafi iterùm renata fuit: Exindeq; Græcia facta eft veluti natale folum Libertatis, unde illa ceu Colonias quafdam ad alias nationes in Orbem deduxit.

6. Differitur, *An & quomodo debeat effe eloquens atq; erudita Liberta*, (1) Sapienter & genuinè genealogiam Libertatis Polonus nofter demonftravit: *Servitus genuit Libertatem, libertas autem genuit Eloquentiam.* Parum apud fe æftimabant homines cum natura acceptam Libertatem, donec pretium ejus fervitus oftendit, proinde quia hæc illos ad afferendam amiffam Libertatem ftimulavit, quafi ipfis iterùm fuit per eam renata libertas; poftquam verò ferreus fervitutis conticuit ftylus, in ejus locum fvadendi, diffvadendiq; artes liberarum mentium nutrices fuccefferunt. *Ne fi Severius* (dicit Plato) *cum ftudiofo jam Libertatis populo ageretur, aufterior regendi ratio, feditiones, confpirationes Magiftratuum periculo provocaret. Itaq; modeftius imperare coacti Principes cum intra ordinem continendi populi morem modumq; invexerunt, fi videlicet, quod vi & metu cum periculo extorqueri deberet, id potius fvavitate dicendi, perfvadendiq; copia à populo haberetur; hinc ortum duxerunt compofitæ Orationes ad quas multitudo confluebat, & dicentis perfvafione oblectatâ facilè fe in omnes partes duci finebat, abindè tradendis lucubrandisq;* de

(1) *Twardowfki.*

de arte benè dicendi praeceptionibus primi sese Graeci plurimum affixerunt, post eos caeteri Libertatis haeredes populi.

7. Ad id fortasse *Democratis* collimabat aenigma, quod olim *Enecrati* proposuit: *Nosti turpissimam, nequissimamq; Matrem, quae pulcherrimam atq; optimam generat filiam:* Ego enim ad id sic responderem: Mala supra modum, & turpis Mater servitus, pulcherrimam & valde bonam filiam Libertatem, neptem Eloquentiam edidit Mundo. Unde notum sit, quam consentanea sit liberae genti *Eloquentia*, siquidem est filia Libertatis, quae quia (ut liber Lacon apud Plutarchum dicit) *semper florere, nullo annorum aetatumq; vitio putrescere debet*, nunquàm debet esse velut effaeta, ceu absq; hac prole Mater. Quicunq; igitur sive ex beata nascendi sorte, sive ex virtutis merito cum Libertate connubia init, una & filiam ejus id est Eloquentiam dispensante ipsâ naturâ Libertatis, ut desponset sibi, necesse habet; alias ex imparitate statûs & conditionis malè ipsi cum illa conjuge hoc est Libertate conveniet.

8. Arescere saepè sub oculis mundi pulchrè efflorescentes nationes debent, quando congenitum sibi Eloquentiae succum, & velut nutritium vigorem non habent. Diversus est eorum vigor, quos Regnantium *sic volo, sic jubeo* coërcet, alij enim ex aurea fisci tributiq; vena vitales derivant Spiritus, alij integritatem suam ferreâ dominantium virgâ sustentánt, hi praedis & perjurijs, illi herili potentiâ subsistunt. Liberae verò Gentes quemadmodum à servitute, ita ab his humani generis pestibus remotae, integritatem suam magnâ parte in liberè & prudenter eloquenti lingva constituunt. Benè castigatam Eloquentiam *Spiritum Libertatis* vocat apud Xenophontem *Heriscus*. Quia enim liberae gentes multum distant à violentia, imbutos proindè Libertate animos mortalium ad id, quod rectum & communi bono salutare, jam non violenter trahere, sed svaviter ducere est necesse. Quod sola Domi-

na mentium & animorum efficit Eloquentia. Libertas eſt, ille

Rapidus torrens, vires cui verna miniſtrant
Flumina, & exuti conferto vellere colles.

Opus eſt hunc violentum impetum, quali ſæpè Libertas redundat, ne notabile aliquod in novalibus Reipublicæ damnum inferat, ſcire dextré derivare: alias mox vagus in campos fruſtra prohibentibus exit obicibus. Libertas eſt adhuc ferox ex natura ſua, ſed tamẽ manſvefactum animal: facillimè *effractis* (dicit Euripides) *rectæ rationis repagulis cum liberis humanæ voluntatis cupidinibus in prærupta fertur*, neceſſè eſt proindè magis conſilio & prudenti induſtriâ, quám frenô & ſtimulis ſcire illud continere in officio; in molli de tilia cavea Leunculus iſte continebitur, ferream confringet.

9. *Sunt ſui* (ait Seneca:) *ut corporibus ita & Rebus publicis morbi* (1) maximè verò *liberis Imperijs malignum quiddam ineſt, ubi quantumvis tenue ac leve vulnus ſi negligas in totum Rei-Publicæ corpus peſtifera promanat tabes*. Contra hos morbos cum aliundè nequeat eſſe medicamentum, quam à ſalubritate Legum, quæ communiter propter adjunctum imperij aculeum ſunt acerbæ, opus eſt ſcire hanc amaram medicinam ſvaviter infirmæ libertati perſuadere, quod ſine Eloquentia (quam Livius *condimentum Legum* nominat) fieri non poteſt. Præcavet proinde in hoc & ſapienter admonet filium ſuum inſignis ille Firley Caſtellanus Woynicenſis in exteris nationibus commorantem: *turpè eſt hominem liberum ita ágere in publico, ut ambigi poſſit cum Plauto liber ſervuſne ad dicendum Veneris? turpè eſt Libertati natum, os mutum ac veluti revinctum circumferre, atq; alterius ſententiæ non parere, quod honeſtum eſt, ſed ſervire quod infame. Jactas Nobilitatem generis & lingvam nobilem geras, neceſſe eſt: Quod ſi in te interclúſo veluti Spiritu rudis libertas obmuteſcat, quo tandem nomine ab ignobili: ſerviliq; differes? Fruſtra deniq;*

(1) *Contarenus.*

cæte-

cæteras seu corporis & fortunæ, seu animi, imo virtutis, etiam in te congestas opes jactaveris, nisi idem quoties communis Patriæ postulat necessitas, pro Comitijs, pro Castris, pro Judicijs, pro circulis, cæterisq; id genus copiose atq; erudite disserere, svadere, dissvadereq; & volueris & potueris. &c.

10. Ne verò aliquis erret, exlegemq; loquentiam cum legitima Libertatis Eloquentia commisceat, opus est cautione. Plures enim sunt ejusmodi, qui tunc eloquentes videntur sibi, cũ ōnes clamore superāt, ac si ex inculta Janēsiū natione forent (2) qui *barbaram initio Libertatis tenuerant consuetudinem, ut disertissimus ille haberetur, qui potentissime clamasset, majoriq; præ reliquis pectoris atq; laterum contentione intonare potuisset.* Uniuscujusq; sensui contradicere hoc illis popularitas, necessitatibus publicis privata interserere, hoc ipsis Libertatis Zelus, communem concordiam, externa vel sua cum publico dispendio quærendo compendia, à desideratis effectibus amoliri, hoc ipsis liberæ vocis exercitium. Similes (sicut quidam magnus Senator ajebat) illis trivialibus Scholipetis, quos frequenter inter clamantes notant, excepto, quod hi ferulam Præceptoris, illi vero sæpe pinguem ex vacantibus vel ex marsupio offam in pretium venalis reportant vocis. Verùm est, quod dedeceat Libertatem habere lingvam post labra revinctam: Verum & id, quod Libertas prout à servitute, ita à muta & sedentaria assentiendi necessitate (3) debent esse aliena; potest, imò debet pro se loqui, ita tamen, ut *nihil arroganter & superbe, nihil insolenter & stolide, nihil protervè & impiè nihil pertinaciter & præfracte dicat, sed omnia prudenter, omnia pudenter, omnia salubriter & decore*, minùs honorificam illi memoriam sui ad posteritatem detulerunt, qui agnomen á tauro deductum habentes, quia aliquid per tumultum in comitiolis, solis clamoribus & stre-

(2) *Strabo.* (3) *Synesius.*

ſtrepitu per vim obtinere voluerunt, a quopiam redarguti fuerunt his verbis: Heus *heus jumenta! non cornibus ſed rationibus*.

11. Nefas igitur inſolentis linguæ petulantiam velle pertinere ad Claſſem Eloquentiæ, nec pupulares habendi ſunt, qui ut ignari qualitatis metallorum, ſonò pecuniam probant ita clamore, & irreflexè obſtinatò ſtrepitu, ſui pro Libertate Zeli ſpecimen oſtentant. Libertas noſtra quamvis ferrò & Martiali ſtrepitu accrevit, in ſua tamen integritate ſine prudentia & ſcientia nequit conſervari. Viriliter ac animoſè ferro uti, etiam gregarius miles poteſt, aſt nobilem ex utroq; Cæſarem eſſe eſt neceſſe, non tantùm Marte, ſed etiam & arte ſcire ſervire Libertati, quia certè parum hiſce temporibus juvant arma foris, ſi defuerit rectum & prudens conſilium Domi. Libertatem vulgò vocamus aureum vellus, cujus ſecuritati non ſatis proſpiciet contra callidas invidorum Jaſonum inſidias, ſolâ terribilis ingentium draconum cuſtodià. Inſignis illa cenſura eſt, quia forte liberæ gentis Civem innodat Plato, *quod linguæ atq; cordis capitiſq; diſſidium faceret illam dicendi præceptis excoleret, hæc negligeret: Verbis concinnam venuſtam, & non rebus eruditam, non probitate caſtigatam, non ſapientem adferret Orationem*. Rectum de Libertate tulit Judicium Cato liberæ gentis Senator, quando illam ſine eruditionis ornatu *gemmam plumbo inſertam* eſſe cenſuit.

12. Romani Libertati, quam pro Dea colebant, primum ædificantes templum, in atrio ipſius Bibliothecam locârunt.

(4) *Nec me quæ doctis patuerunt prima Libellis*
Atria, Libertas tangere paſſa ſua eſt.

Athenienſes quoq; Libertatem ſuper Aquila ad Solem eluctante pingebant, *non ignari* (ait Biſciola) *Luci & Soli natam*

(4) *Ovidius.*

tam Libertatem non cum noctuis inter ignorantiæ tenebras cæcutire, verum inter eruditionis splendores acutum cum Aquilis cernere debere. Protunc aliquomodò Libertati desipere licuit, dum adhuc sub ferula Dominantium ceu minorennis exstiterat: quando tam Domi, quâm in vicinia, Reipublicæ ratio fuit popularis & rudis. Ast de præsenti cum quocunq; te verteris, ubivis novam eruditæ ætatis formam, novum sapientiæ habitum, tersum politissimi sæculi speculum intuearis; quando jam ubiq; ferè *blandiri & assentari æquum apellatur, dum egregius fallere & decipere est triumphus,* quomodo sine erudito procedes ingenio? ipsâ virtute & sinceritate parum juvaberis, fortitudine pro modico tempore, idq; non semper, tueberis te, si circumspecta non aderit prudentia, certè decus Libertatis in difficili & lubrico consistet.

13. *Differitur, quodnam debeat esse pretium Libertatis?* Olim adhùc apud liberos Sparthanos hæc nata est quæstio. Quidam enim *Ægyptus postquam coram Fragilo Rege* (testatur Rosinus) *studiosissimum se esse Libertatis confirmasset, ab eodem, an probe sciret, quid sit Libertas? interrogatus, ipsam animæ suæ animam esse respondit, ostenditq; nullum tam magnum, tam eximium, tam singulare bonum homini à Deo esse concessum, quod cum Libertate in comparationem venire possit.* Gnari erant valoris illius Romani, dum ædificato Libertati sacrario, Iconem ipsius in corde aureo adamantinis occluserunt repagulis. Parcè me judice is Libertatis taxavit pretium qui dixit:

Non bene pro toto Libertas venditur auro.

Legimus enim de pluribus, qui eam vitâ propria redimebant. Obsessi â Mario Romano Astanenses considerantes, quod patria municipalia Jura, suasq; Libertates retinere non possent *in medium forum* (testatur Strabo) *pretiosissima quæq;, Con-*

 juges,

juges, insuper atq; liberos id ipsum volentes congesserunt, stramento ac lignis incendio aptis cinxerunt, ignemq; subjicientes ipsi citato agmine patentibus portis eruperunt, atq; strenue pugnantes, servitutem quam cum Urbe capti subiissent, honesta morte redemerunt.

14. Titus quoq; Quinctius Romanus libera Civitate Græciæ subacta, dum in foro congregato populo proclamare jussit se illi antiquas ejus Libertates conservaturum, *majus gaudium fuit*, (dicit Livius) *quam quod homines caperent, tantusq; cum populi clamore plausus est ortus, ac toties repetitus, ut aves, quæ tunc supervolabant, attonitæ paventesq; deciderent, facileq; appareret, nihil homini, ne vitam quidem libertate esse potiorem. Nec præsens tantum omnium effusa lætitia fuit, verum post multos dies gratis cogitationibus sermonibusq; in tantum continuata, ut vix ad cibum cogente fame respicere possent.* Tyrannicâ quidem Staterâ, attamen non exiguò pondere Libertatis suæ pretium æstimabant olim Lugdunenses: Hi in extremis ferê strictissimæ obsidionis angustijs existentes, denuntiarunt hosti (1) *alimenta sibi non defutura, donec lævum brachium restaret, hoc esuros, dextera interim ad Libertatis defensionem reservata.* Nequit satis adhuc stupore defixa posteritas demirari illum Sparthanum Adolescentem, qui in servitutem venditus dum à Domino suo ad servile quodpiam obsequium fuerat destinatus, lapidi allisit caput suum, inclamans: *Non serviam*; Et ita liber Sparthanus quamvis in servitute, mortuus est

15. Brutus ipse post expulsum Tarquinium Tyrannum Libertatis Romanæ assertor, pluris eam æstimavit, quam proprios filios (2) *quos cum Tarquinio ac servituti iterum in Urbem cum Regno reducendæ studere comperisset, in forum protractos virgis primum cædi, post securi percuti jussit.* Ast non modo virilis, muliebris quoq; resolutio mascu-

lo amo-

(1) *Justinus.* (2) *Valerius maximus.*

lo amore Libertati litare didicerat. Lacedemoniensis Matrona, dum illam captivam servili cautere signare jusserat hostis, ereptó de latere ipsius gladió semet transfodit, intinctoq; in sanguine digitó inscripsit parieti: *hanc potius Libertatis notam.* Depraedicat quoq; Dardanensem mulierem Seneca, cujus filius in captivitate natus dum adolescere incipiebat, ipsa illum suffocavit, ac supra cadaver ejulando clamabat: *Non vivat, ne serviat.* Nemo igitur miretur, quod nobis quoq; liberae genti illa, quae omnes omnium charitates complexa est sapiat Libertas, siquidem prout idem affirmat Seneca: *Non fortunae, non liberi, non vita ipsa potior libertate a liberis populis habita.*

16. Differitur, *an possit debeatq; aliquando honeste servire Libertas.* De Theorisco, quem Plutarchus *vulnus Atheniensium Libertatis* vocat, legimus, quod ipse cupiens decus Patriae potentiorum libidini gratificari, illicij seu allectamenti loco, quo incautum populum in Casses servitutis posset pellicere, sparsit clandestina primum, & demum publica per circos & circulos circumscribendae Libertatis consilia, jam melioris ordinis, jam majoris boni emolumenta, jam florentiora in consiliis, bellis, publicis privatisq; negotijs tempora promittebat: crassum servitutis funem veluti sericó aliquó Zeli & eloquentiae fucó circumvolvendo; verbó, fuit unus ex ijs, qui (veluti compositores fabularum asserunt:) equum eó modó infraenarúnt, dum coriaceum fraenum auro & argentó contegentes, ut illud ad decus & ornamentum suum Capiti imponere permitteret, illi persvaserunt.

Sic qui pauperiem veritus, potiore metallis
Libertate caret, Dominum vehet improbus atq;
Serviet aeternum, qui parvo nesciit uti.

17. Edocuit nos ejusmodi fraudulentus propriae Reipublicae venditor, quod & servitus, quae Sedentariam assentien-

di necessitatem Rebuspublicis veluti invitabile & domesticum fatum adfert, habeat tamen suus pro Domo sua in Regno libertatis Oratores, qui sub dulci hoc melle venena libertati propinant. Et hæc est Libertas serva, seu veriùs hi sunt libertati suâ pestilentiâ eò nocentiores, quo magis tecti. Optimè præmonet subtilis Politicus (1) *Nisi sylva humani generis excisa, non defuturos alienæ libertatis raptores lupos*; hi sunt præcipue illi, qui *Principum aulis veluti animalia caveis inclusi, quo mollius delicatiusq; ali soliti, eo durius miseriusq; servientes*. Tales Consiliarios equidem tanquam adjutores ad opprimendam Libertatem Romanam spectavit, attamen quia sordidum obsequium & servilem patientiam odio habuit Tiberius Cæsar, eundo ad publica consilia, ipsosq; suis familiaribus indigitando, dicere solebat: *O homines liberos ad servitutem paratos*! prout testatur *Tacitus*. *Sunt* (dicit noster Polonus Krasiński in alloquio ad Equites Polonos) *quos non fortuna communis, sed favor Principum, largitio, cæteræq; pestes ad dicendum impellunt, vel in dicendo prohibent. Auream illi ex sensu Democratis nacti linguam, quæ nonscit pro se tinnire, pro alio, vel cum tacet, vocalissime loquitur. Nisi clavum quendam illorum linguas dici malis, quo Libertatis navicula inquiete periculoseq; circumagitur. Tales Libertatem cogunt miseram servire servitutem, cum & ipsi* (*quod Crassus Romanus de similibus illorum jactare consveverat*) *sub pileo Libertatis rasuram circumferant servitutis*.

18. Abominabilis hæc, quia nimis sordida servitus, quam filij noxæ in Libertatem inducunt: Non est tamen nec debet esse ita exlex Libertas ut suum non habeat frænum. De libera quia Polona Gente scripsit Kochanovius:

Super feroces Hercynæ sylvæ feras,
Juris refrænans circulus collo datur.

Et

(1) *Andreas Crescentius*

Et hæc est honestissima servitus Libertatis æquitati, superioritati, rationi subesse, ac ipsum pene ferientem sydera verticem jugo Legum subdere. Prudenti ac libertatis gnaro meminisse opus est illius dicti; quod quondam Galba Pisoni apud tacitum inculcabat: *Imperaturus es hominibus, qui nec servitutem pati possunt, nec totam Libertatem.* Libera gens longè distare debet à misera servitute, attamen totam Libertatem, hoc est effrænem sine Lege licentiam habere non debet, sed sæpius Libertatem propter libertatem adimere, alias brutis, quam hominibus similiores sine Lege effrænes, Libertatis impotes esse vellemus. Bene nos monet hac in parte libera quondam Roma, in qua *postquam Libertas superbum caput super Leges insolenter extulisset, illud ausa est, quod tyrannis etiam horruisset.*

DIES SECUNDA

Eruditi aliquot amicorum de Libertate Colloquij Disseritur.

An omnibus populis expedit esse liberos?

I. ID *vero illustro discursu ex adversionibus cujusdam Nobilis á me excerpto, qui ab illo ne sit scriptus, an aliunde exscriptus? mihi non constat.* Non sine Politico mysterio Sapientes Athenienses Libertatem sub Imagine Lunæ in fano DEÆ Pacis. (ut est apud Majolum) exhibuerunt; Id enim forte posteritati inculcare voluerunt, quod sicut Luna aliud habet splendoris sui decus in Novilunio, aliud crescens, aliud in Plenilunio aliud decrescens, tandem ad extremum sua ex toto privatur luce, ita Libertas varios genios & nationes percurrens veluti luna post suas incrementorum & decrementorum Phases varia

pati

pati ſvevit ſymptomata, hic veluti in Novilunio gliſcere incipit, hic ſenſim auctior ad majorem enititur Lucem, hic in plenitudine ſuæ perfectionis conſiſtit, hic ad occaſum vergendo paulatim deficit; hic violentas Ecclypſes interpoſitâ ſervitute patitur, alibi pridem extincta in obſcuro jacet.

2. Hæ & his ſimiles viciſſitudines non tam Libertatis, quàm Populorum Nationumq; inclinatione ac veluti nativo vitio fiunt. Sunt etenim quædam Gentes, quibus Libertas eſt noxia. Ruffus Conſul Romanus Bactrianos fideliter in bello cont a Parthos & animoſè militantes pro ſpeciali tanti meriti ſtipendio libertate donavit, ad Jus Romanorum Civium admit endo. Verum id in Senatu vitio putavit (2) *Cajus Servilius* addens pro ratione: *Brevi ea facturos Bactrianos, propter quæ* in graviorem, quam ante ſervitutem redigi merer nt r; quod etiam evenit. Auguſtus aliquot Civitates in Affrica pro earum meritis quamvis Libertate cum Romanis coæquavit, Cives tamen illarum nondùm integrô Annô expletó ad primam Regiminis formam aſpirarunt, & publico conſenſu legatos Romam expediverunt, ac pro data Libertate gratijs actis, ut congrua genio ſuo Reipublicæ forma reſtitueretur, inſtiterunt. Unus ex ijs perorando in Senatu Romano inter alia dixit (3) *Libertatem alijs rem eſſe ſaluberrimam prædicamus, nobis periculoſam ſentimus, alijs bonum inæſtimabile, nobis doloſum, alijs ipſum Nomen illius dulce, nobis ama rum. Potio quædam ex præſcripto ipſius Jovis confecta eſt Libertas, alijs ad felicitatem ſalubris, nobis primo guſtu arridet quidem, ſed diffuſa in venas latente veneno inficit, enecatq; Ulyſſem humanæ prudentiæ exemplar ſequimur qui Syrenum inſulas cum claſſe tranſiturus cerâ ſuorum aures obturavit, ſe vero ad malum navis alligari curavit. Alii enim in ſinu Libertatis ſecure ſvaviterq; dormiunt, nobis illa Syren eſt; melius eſt nobis bono-*

(2) *Livius* (3) *Macrobius.*

bonorum Virorum servos, quam malæ hujus uxoris maritos esse.

3. Ita his gentibus, cum illorum genio non esset accommodata, nocuit Libertas, quamvis protunc umbra solummodò illius remanserat, ac in hoc unico (ut Lucanus affirmat) consistebat, si: *quidquid jubeare velis.* Stat proinde hæc veritas, quod *non omnes populos convenit esse liberos.* Hi imprimis, qui sub Zona torrida, præsertim intra tropicum, vel prope illum degunt, quia sunt naturâ timidi, ex timore autem præcipites, & crudeles; omnes fermè servili sunt indole; excessivus etenim ardor insitum calorem ex illis evocat & spiritus vitales, quos animales vocamus, attenuat, debilitatq;, unde in illis nec affectio integri esse potest, nec ratio constare magis aut minùs, quàm prout illi calori magis vel minùs sunt obnoxij. Tales nationes sub absoluta Monarchia, aut nihil prorsùs, aut aliquantum Aristocraticô, Jure temperata degere expedit, pro ratione, uti sunt magis vel minùs ad obtemperandum aut imperandum natæ.

4. Hi vero, quos penetrabile Boreæ frigus adurit, si non fuerint Literis, politiâ, & humanitate exculti, aut ad minimum externis Cultis gentibus permisti, non erunt, quoq; ad libertatem sustinendam apti. Intensum enim gelu, vitales eorum Spiritus in unum constringit, & concentrat. Unde provenit audacia, quæ, quia caret excultæ rationis frænô, evadit communiter inconsultè temeraria, sæva; ad hanc refrænandam absolutum Regimen necessarium, quia libertas audaci & barbaræ genti, iret in augmentum temerariæ sævitiæ. Si tamen rationis morumq; cultura, vel cohabitatio cultis gentibus accedet, hi quoq; magnâ moderatione & prudentiâ Libertatem sustinere possunt. Habemus hujus evidens documentum ex illis Theutonibus, Francis, & ante illos Cimbris, Herulis, Gothis, Vandalis, post illos Hunnis, Danis, & alijs multis Sclavorum Gentibus, inter quas nos quoq; Poloni computamur: Hi à Septem

trioneerumpentes, cum ingenti audaciâ, incredibilem per Orbem exercuerunt ſævitiem. Quam primum verò, barbaros ſuos mores, humanitate & Literis excoluerunt, florentia ordinatâ libertate, inſtituerunt Regna. Hinc optima reſultat præmonitio, quantùm nobis eruditionis cultura ſit neceſſaria, ut Libertatis decus ſuſtinere capaces ſimus: Quandoquidem Boreali frigori adjacemus, quod hominum ingenia inconſultè audacia, & temeraria, & quod exindè pullulat, ſæva nimis & crudelia formare ſvevit.

5. Qui ex coliuvie variarum Nationum côáluerunt, illos ad ſeruitutem hæc ipſa mixtura deſtinavit. Tales enim quieti fidi, conſtantes eſſe nequeunt, quia eorum non unus animus veluti hirco-cervos quoſdam multis multarum Gentium vitijs animat. Exemplum eſt oculis ſubjectum fidelibus ex vicinis noſtris Valachis, Italis quoq; apud me ejuſdem farinæ, quam primûm Gothis, Vandalis, & alijs gentibus commixti fuére (1) De Italis tamen exceptio Sapientis Lipſij tenenda eſt: *atq; hac cautio mea propriè in vulgus dirigitur: Nam de Nobilioribus quid diffitear? revera Optimates illi plerumq; optimi, celſi, ſinceri, virtutis, gloriæ, Literarum amantes In vulgo aliter eſſe obſervamus, qui fex & limus & vere vulgus: Itaq; in illis vetus Italicus aut Romanus ſangvis fere apparet; in iſtis perijt, & nonniſi clare Gottorum Vandalorumq; reliquiæ cernuntur. Regiones temperatæ omnium Judicio* ad libertatem accommodatiſſimæ; Hæ enim ſicut ſaniora corpora, ita & meliora, quietiora, moderatiora producunt ingenia, niſi rudi barbarie (quam rubiginem ingeniorum, animorumq; dicit Seneca) corrumperentur, quæ quam diu ex illis politiori culturâ terſa non fuerit, ſplendorem libertatis non admittet.

6. Verûm parûm intereſt alienas perſcrutari gentes, ſit Laus DEO infinita, quod nobis Polonis veſtitus Libertatis ita conveniat, quaſi ille nobis, naturæ noſtræ & genio planè ad-

(1) 16. *Epiſtola* 22.

hæreret. Sint gratiæ extero *Cassiolo* Veneto, qui Libertatis nostræ perennaturum monumentum tale erexit Orbi. Lib: 1. Politicorum:

Polonia Orbis Annulus, annuliq; hujus gemma.
Libertas.
Polonia Orbis Oculus, Oculiq; hujus Pupilla
Libertas.
Polonia Orbis hortus, hortiq; hujus Laurus.
Libertas.
Polonia Orbis Paradisus, Paradisiq; hujus deliciæ
Libertas.
Polonia Orbis Cælum, Cæliq; hujus Sol.
Libertas.

Faxint Superi, ut hoc de Libertate nostra oraculum alienigenæ

Non imber edax, non Aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series & fuga temporum.

Nos qvoq; pro illa levando in Cælum manus eandem tenerô alloquimur affectu:

Gemmea Libertas sunt sacra tibi atria Lechi
Ista lubens igitur non abitura cole
ATRIA LECHI.

7. Differitur *an possit Libertas se ipsam perdere, ac veluti proprijs viribus obrui.*

Quod ut plurimûm *Libertati maximum in ipsa Libertate positum sit periculum*, sapienter quondam præmonebat apud Livium Syracusanus Hiero, Liberæ vero Reipublicæ non semel suô exitiò hanc comprobarunt veritatem: *Id enim infelicitatis* (asserit *Vopiscus*) *habent liberarum Rerumpublicarum Corpora, ut omni ex parte facile corrumpi, fatalemq; pestem concipere possint, eo difficiliorem curatu, quo molliori, delicatioriq; Libertatis receptam temperamento*

imò neq; cognitu facilem, siquidem sub obtentu prætextuq; Libertatis mortes istæ propinantur Libertati. Magnum in hoc arcanum subtilis Politicus Tacitus comprehendit, dum *corruptæ & à se degenerantis Libertatis vipereum esse solere fatum asseruit.* Procul dubiò ad hæc ille respexit, quod viperam proprius illius fœtus in illa conceptus nascendo dilaceret, Quem quia illa concipit & fovet, ideò acsi se ipsam suâ sponte perimit. Et quoniam Libertas, quandocunq; ad suum tendit interitum, similia semper experitur fata, nam in suam perniciem nunquàm ferè manibus utitur alienis, sed propriæ sobolis in sua sacrilegas convertit viscera dextras, id circo vipereô quasi funere à propriò dilacerata fœtu extingvitur. Pridem Orbis tot liberarum Gentium expedivit funera, pridem illis requiem decantavit servitus, quibus si Epitaphium inscribi deberet, maximè quadraret hoc vipereum cum inscriptione Taciti, Symbolum. Sepelivit Roma suam per Orbem penè totum per illud *Civis Romanus sum*, extensam Libertatem, cujus veluti funebrem pompam in sua Pharsalia describens Lucanus quasi lemma quoddam præcitato addidit Symbolo.

Libertas (inquit) *Populi quem Regna coercent,*
Libertate perit.

Hoc Libertatis Romanæ fatum, quia fuit magis vocale, fusiùs illud describere placet.

8. Simile quid cum unaquaq; fere, quæ jam collapsæ sunt, verum evidentiùs cum Libertate Romana actum est, quod accidere consuevit infirmo, hic continua jactatione & loci mutatione quærit levamen doloris, ast malum visceribus inhærens nihilominus haud excutit, dolendi tantummodo inveniendo varietatem, malignitatem morbi auget, ac eô ipsô, quo voluit sibi mali levamen adferre, membra debilitando, semetipsum suis remedijs frequenter perimit. Sub Imperio primùm septem Regûm floruit & augmētabatur Romanæ Reipublicæ Corpus,

quousq;

quousq; Tarquinij superbi tyrannis veluti maligna febris illud non invásit. In cujus fastidio existentes Romani jactarunt se, & veluti locum mutarunt, translato in duos Consules Imperiô. Videbaturq; protunc ipsis, quod haustâ hac aurâ Libertatis morbum levassent, reverà autem idem malum permansit testante historia: *Non insignem aliquam portionem, verum initium veluti quoddam ac viam ad Libertatem Romana res accepit; Nihil tamen ex Regia potestate diminutum fuit, præterquam quod perpetuus Regni, in annuum Consulum transierit Dominatus. Omnia namq; Jura, omnia Regni Insignia primi statim Consules rapuerunt eâdem penes plebem serviendi manente necessitate, quæ cum tyrannum effugisset, tyrannicos invenit.*

9. Non potuerunt proinde Romani etiam in hoc situ habere liberam facultatem respirandi, ideoq; jactarunt se aliter; temperarunt quâsi illimitatam potentiam Consulum imperio Dictatorum, quos tamen ad tempus tantum & in extremo Reipublicæ periculo ad terrorem cunctorum instituebant. *Summæ potentiæ* (ut ait Livius) *unicum robur* quo tempore & Consules, aliiq; omnes Magistratus vocabant, & uni huic párere cogebantur. Verùm & ista mutatio quo altiùs Dictatores supra cæteros Magistratus extulit, eò magis malum cujus levamen quærebant, intendebat. In aliam proinde partem revolvi cógebantur; Plebs enim fermè tota, Consulum Patrumq; gravata Imperiô, ab ijsdem turbulentissima seditione se separavit, & non priùs ad obsequium redijt, quousq; sibi inter cæteras prærogativas apud Consules Patresq; non extorsit, ut sibi sui Magistratus è plebe essent. Concessum est ipsis proinde, ut eligerentur Tribuni plebis, quorum potestas in eo consistebat, ut in vestibulo Curiæ constituti omnia secreta & Decreta Senatûs censerent, & si in illis aliquid reperiretur, quod plebem aggravaret, solenne illud *Veto* Polonico nostro *Nie pozwalam* haud absimile apponendo, cassaret; Qualem

 lem

lem poteſtatem terreſtres noſtri Nuntij prima ſua inſtitutione, dum Senatus cum Rege ferebat Leges, ac ipſis ad deliberandum, aſſentiendumq; communicabat, in Comitijs habuerunt. Hoc ſuorum Tribunorum Officium Romani vocabant *Jus rogandi, Jus intercedendi, Jus vetandi, poteſtas Sacroſancta*, quam etiam verbó *lædere grande fuit nefas, & morte piandum.*

10. Quamdiu hæc Tribunitia poteſtas intra præſcriptos primâ inſtitutione, continebatur terminos, & ſupra ſuam obligationem per abuſum & audaciam non excedebat, fuit Libertati valdè ſalutaris; quia & Senatum refrænabat, & ſublimem Conſulum potentiam temperabat, adeoq; totam Rempublicam in tali conſervabat temperamento, quale eô tempore illius exigebat Conſtitutio. Verùm quam primum Tribuni fiduciâ Sacroſancti juris ſui elati, minuſq; contenti eô, quod ad ipſos ex primo inſtituto pertinebat, turbulentis rogationibus aſſiduo Rempublicam intricabant, ipſiq; Leges pro libitu ferebant, bella indicendo, Provincias, Exercitus, Officia his adimendo, illis tribuendo, ac in Dominio Romano omnia, ſummâ diſponendo authoritate, ex defenſoribus Libertatis facti ſunt tumultuûm & perturbationum in Republica Authores, aut Cooperatores. Quoties etenim ad tumultus factioneſq; ſeſe obtulit occaſio; *non deerat ſeditioſis & turbulentis* (inquit Valerius Maximus) *funalis fax Tribunitia, quæ illorum temeritatem & audaciam vel ruentem comitaretur, vel langventem actionibus ſuis inflammaret*: Difficilè foret horum cuncta enumerare exempla? nota ſunt, & altæ impreſſa memoriæ illorum, qui revolvunt hiſtoricos: His perpenſis haud difficulter concludere quiſq; debet, quod *ſeditionum omnium* (ut idem fatetur Author) *cauſas Tribunitia poteſtas vel excitavit, vel promovit, ſpecie quidem tuendæ Libertatis obſiſtendo, re autem Dominationem ſibi acquirendo, tum populi, tum Potentiorum ſtudia aucupando.*

pando. Et ita ſtatus popularis quamvis locô noviſſimus, potentiâ tamen varijs Legibus firmatâ penè primus evaſit, vix enim non omnem Authoritatem Senatui eripuit, ipſe condebat Leges, ac totum Imperium gubernabat, hôc tantùm relictô Senatui, ut commodè in Curulibus penes ſuos Conſules aſſideret.

11. Hæc proindè maligna febris, quæ à tyrannico Tarquinij ſuperbi Dominio initium ſumpſerat, tali, ſub curatione Tribunorum mutatione, jam de ſua malignitate remiſerat, ſed quia ſalutiferum temperamentum exceſſiva demum Tribunitiæ poteſtatis doſis corrupit, gravis valdè licentiæ ex abuſu Libertatis natæ paroxiſmus Reipublicæ Corpus occupavit, opus ideò fuit nova iterum ſic affectæ Libertati iactatione; Exinde aliam regiminis formam introduxerunt Romani, elegerunt, conſtituerunt q; ſibi *Decem Viros, qui cum ſummo Imperio præeſſent Reipublicæ, Juſq; Populo redderent*; Verùm hôc quoq; modô, ita Regimen & Libertatem emendarunt, *ut* teſtante Liviô, *multiplicato terrore decem tyrannos ferrent*: hæc mutatio vix duravit bienniô, ſucceſſit alia affecti Corporis revolutio: Confugit Populus ad ſolitam ſeditionem, *Decemviratu* abrogatô iterum *Conſules*, iterùm *Tribunos* ſuis reſtituit Officijs. Nihilominùs hanc quoq; Reipublicæ pertæſus formam, *Tribunos militares cum Conſulari poteſtate adjecit*; Modicô temporis intervallô redijt iterùm ad ſvetos Conſules, ac in hoc Regimine perdurauit, quouſq; omnes Julius Cæſar non ſubiugavit, ac inſolentem Libertatem ipſa non ſuſtulit Libertate, quod hiſce perfecit medijs:

12. Tres eo tempore fuerunt in Republica alijs famâ ac potentiâ eminentiores: *Craſſus, Pompejus, ac Julius Cæſar*, qui *cautione amicitiæ* (inquit Dio) *inter ſe conſtituta, adjuvantibus per ſuas rogationes Tribunis totum ferè Imperium, Remq; Romanam invaſerant, ita inter ſe fœdera comparantes, ut unus ſemper præſens in Urbe conſul eſſet,*

qui

qui absentium honores propugnaret, & auxiliô Tribunitio promoveret; Et quamvis singuli ad Dominatum eversa Libertate aspirabant, quia tamen unus alium metuebat, decenniô ferè in hac amicitia persistentes, Rempublicam *per turbulentas Tribunorum rogationes*, quò libuit pertrahebant. Julius in Gallia, Crassus in Asia præerant exercitibus, Pompejus Romæ agebat Consulem. Intereà Crassus à Parthis victus ac interemptus dum solummodò reliquit æmulos, ut enim loquitur Dio: *& Pompejo suspectæ Cæsaris opes, & Cæsari dignitas Pompeij gravis fuerat, nec Pompejus voluit ferre parem, nec Cæsar superiorem.* Attamen hæc æmulatio nonnisi post mortem Juliæ filiæ Cæsaris, quam uxorem duxerat Pompejus, in Publicum erupit. Pompejus enim, qui Julio quamvis contra Leges, quia absenti, per rogationem Decem Tribunorum obtinuerat Consulatum, iterum id extorsit per eosdem, ut nullâ mentione factâ promissi Consulatûs, mandatum fuerit Julio una cum Officio Ductoris Exercituum, gubernium Provinciæ deponere, ac alteri resignare. Paratum se ad ea ostendit Julius hâc adjectâ clausulâ, ut ipsi priùs promissus Consulatus traderetur, ac palam declaravit, quod aliter nec Regimen Provinciæ, nec copias militares alteri sit resignaturus. Circa quæ ut possit subsistere, ad Tribunos, velut ad solitum potentiorum cupiditatis asylum pro manutentione sui recursum fecit.

13. Idem fecit Pompejus Tribunorum captando favores, per quos iterùm Romæ obtinuit, quod contra Julium decretum fuerit, *ut Provinciam, atq; exercitum dimitteret, ni ita faceret, eum hostem Patriæ futurum*: Huic sententiæ aliqui Tribuniplebis (testatur Pomponius) *Intercesserunt. Qui cum adnitente Pompejo, è comitio fuissent ejecti, ad Cæsarem in Galliam penetrant; hos ille in Concionem apud milites producit, queriturq; se ita in Patria meritum, hostem Patriæ condemnari non auditum, Tribunitiam*

tiam intercessionem, adeoq; Libertatem Pompeji armis opprimi: Hortatur deniq; precaturq; ut cujus ductu tot secunda prælia fecerint, atq; Orbem perdomuerint, ejus dignitatem ab invidia æmuli, Libertatem ab ejusdem, & Senatûs tyrannide defenderent. Neq; segnius Romæ Pompejus contemptas à Julio Leges, oppressamq; Consulum Senatûsq; Authoritatem, eversam Libertatem crepabat: cùm tamen neutri cura fuisset Libertatis. Et sic hi iniqui tutores Libertatis cognatasq; acies fraternaq; cominùs arma in se convertentes jugulârunt libertatem gladio libertatis, ac liberis Gentibus hanc monitionem relinquerunt: (1) *Nullum præsentius Libertati timendii exitium, quàm ipsam Libertatem.* Habebat Romana Libertas plures ab ipsa experientia præcautiones, benè novit, quo effrenis primùm licentia Tribunorum plebis, quo illæ potentiorum præcipuè inter se simultates, quò Reipublicæ Ordinis Inferioris contra superiorem conspirationes, quò præcipites Magnorum & potentiorum Capitum proscriptiones collimaverint. Attamen eatenus fuit insensibilis, donec ipsam Julius, & post eum succedanei tyranni penitùs oppressisent.

14. *Differitur. Cur nunc Liberæ Reipublicæ rariùs difficiliùsq; concedant, quàm olim fieri consueverat.*

Hæc difficultas quia est conjuncta cum notitia Reipublicæ, opus proindè priûs noscere Status, sive formas Rerum publicarum: Nam mutari Rempublicam nihil aliud est, *quàm unum Reipublicæ statum sive formam converti in aliam, aut à recta & legitima Reipublicæ forma degenerare in vitiosam.* Quatuor sunt Status sive formæ Rerum publicarum: prima dicitur *Monarchia*, quam etiam vocant *Regnum*, altera *Aristocratia*, tertia *Democratia*, quarta *Forma mixta* ex præfatis tribus vel duabus composita.

(1) *Contarenus*

ſita. *Monarchiam* ita deſcribunt: *Eſt unius, cui cæteri omnes parent Principatus, communem Reipublicæ univerſæ utilitatem ſpectans.* Talis Status Monarchicus adhuc ſubdividitur: aliæ ſunt *Monarchiæ abſolutæ*, ſive *exleges*, ubi *omnes & omnia in Republica dependent à voluntate & arbitrio imperantis.* Ejuſmodi nunc eſt Monarchia Turcica, Moſchovitica, Perſica, &c. Aliæ *Monarchiæ* ſunt *Legibus revinctæ*, *in quibus poteſtas Imperantium juratis per ipſos Legibûs plùs vel minùs eſt reſtricta*, qualia ſunt alia Dominia Chriſtianorum. Utraq; hæc Monarchia aut *hæreditario jure ad Succeſſores Dominantis Familiæ devolvitur*, aut *ex Libera Populi Electione non ſangvini, ſed virtuti, & dignitati datur.*

15. Quævis ejuſmodi Monarchia, tamdiu eſt recta & legitima, quamdiu habet pro fine ac veluti meta commune bonum, & utilitatem Reipublicæ. Alias ſi Monarcha privata ſua commoda cum malo quæret publico, jam deſinet eſſe legitima Monarchia, ſed erit tyrannis vitioſa. Proprium verô commodum quæret non ſolum tunc, quando in ſuam perſonam ſeu familiam, verùm etiam, dum in ſingulares Civium perſonas ſibi ad promptê obſequendum adinventas & malo publico adoptatas, aut etiam in unam partem Reipublicæ cum præjudicio aliarum multa derivat, ut injectô ſemine diſcordiarum inter Status, aut principaliora Reipublicæ capita, per illos, quos ſibi devinxit, poſſit alios premere.

16. Adnotant plures Politici cauſas, unde veluti ex fonte tyrannis in Respublicas exundare conſveverit, ſed hæc omnia poſsunt revocari ad duo Capita, à quibus ſicut alia omnia ſolitaria mala, ita & *hoc compendium omnium malorum* ſcilicet *tyrannis* ſuam deducit originem. Primus eſt fons tyrannidis ipſi Dominantes Monarchæ, qui & ſi ſint

à natura

à natura subinde ad bonum proclives & gratiosi, possunt tamen imò communi consvetudine soliti sunt mutari in pejus. Sapienter enim dixit Seneca: *Reges scelera si nesciunt, Regnum docet.* Nero in primordijs optimus est habitus ac clemens adeò, ut quamvis justam ad mortem alicujus sententiam subscriberet, fleret. Quâ de causa Senatus non tantùm actiones, verùm & verba ipsius digna fuisse judicavit, ut aureis argenteisq; columnis inscriberentur. Successu verò temporis *regnavit sanguine multo,* ac documento probavit, quid magna vitia in summa fortuna possint. Ideo Respublicæ suorum Monarcharum potestatem Legibûs, juramentîs, alijsq; modis fortiter ligant, optimè scientes (1) *quod licèt boni & clementes sint, quia tamen malum esse licet Principi, formidentur.* Et quamvis nec malas à natura inclinationes ad Imperium adferant, nec bonam indolem mutent Principes in Imperio, contingit tamen aliquem eorum esse aut *ignavum,* aut *incautum,* & *nimium indulgentem*; quare si est *ignavus,* tanto oneri censet se esse imparem, aut serijs & gravibus vacare negotiis recusat, quodsi *minùs prudens aut incautus,* vel *nimiùm indulgens,* parum discernit, & ideò ad formidandam aliquos Cives potentiam supra alios, & subinde vix non supra se elevat.

17. Insuper duplex tyrannidi aperitur via. Prima *ex parte Imperantium,* altera *ex parte eorum, quos Imperantes ad tanta extollunt fastigia.* Ex parte *Imperantium* in hoc casu, ita tyrannis in Rempublicam irrepit, quod eos ipsos, quos extollunt, cernendo, quod multa possint, metuere cogantur; Ex timore proveniunt postèa suspiciones, ex suspicionibus odium, hoc verò stimulat ad sævitiam, & oppressionem eorum quos elevârunt. Talis fuit apud Tiberium *Sejanus,* apud Neronem *Plautianus,* apud Justiniaum

(1) *Sinesius.*

ſtinianum *Belliſarius*: &c. Ab his ſumptô ſævitiei initiô infallibiliter facient *gradum* contra alios *virtute, opibus, gratiâ populari eminentiores*. Ex parte verò eorum, quos Imperantes nimium evehunt; ita ſumit vires tyrannis; illi etenim quia communiter apud alios, ſupra quos favore Principum ſunt elati, exiſtunt in odio, debet quoq; ipſis aliena virtus, & qualiſcunq; licèt inferior potentia eſſe formidoloſa. Igitur ne obices & æmulos habeant, in oppreſſionem interitumq; talium invigilant, efferatiq; ſangvine Concivium ipſos deindè imperantes invadunt, ad extremùm inter ſe, ſi plures ejuſmodi fuerint, armis decertant, ex quibus qui potentior, is Princeps in tyrannide. Talis fuit ille Antonij, Lepidi, & Octavij Triumviratus. Ea igitur de cauſa Liberæ Gentes huic ut plurimùm incumbunt, ut æqualitatem ceu fundamentum, ac fundum Libertatis ſuæ tueantur, Magiſtrátus verò & Juriſdictiones ita attemperent in Republica, *quatenùs ex ijs plus dignitatis & honoris, quam virium & potentiæ accedat*.

18. Alter fons, undè tyrannis in Reſpublicas promanat, eſt *ſubjecti Populi levitas & inſolentia*. Populus enim, quia ſemper eſt imperantibus imprimis, & demùm nobilioribus & eminentioribus obliquus atq; infenſus, facile inter illum reperiuntur tales, qui *illuſtres in Republica Viros calumniando & criminando, parant ſibi*, (ut aſſerit Ariſtoteles) *animos plebis, eaq; ratione amorem atq; popularem fidem apud eos conſecuti, Demagogi, ſeu ductores ſeditioſi Populi fiunt. Hoc modo potentiâ aucti in illuſtres primô Viros, tum verô in ipſius plebis, ſeu prompta ſeu apta ad audendum Capita, (nam ſimilia ab illis metuunt:) tyrannidem exercent*. Ex his omnibus clare liquet, quod abſoluta Monarchici Imperij forma, ubi Dominantium poteſtas vel eſt abſolutè exlex, vel debiliter revincta,

nimiùm

nimium sit proclivis & facilis ad tyrannidem; similia exempla legimus in pluribus Historiis cunctarum ferè talium quæcunq; in Orbe exstiterant; Monarchiarum. *Potentia* (dicit Plutarchus:) *omnes animi motus in facta impellit, & valdè periculosum, ne cui licet facere, quod vult, is velit, quod non licet.* Non pauci quidem numerantur, qui mordicùs absoluta Imperia propugnant, & pro exlege potestate zelant, attamen omnes ingenui, qui Libertátis decus ex digno & decoro sustinere possunt, juste ejusmodi servitutem dedignantur; hæc etenim *exlex Dominatio est contraria naturæ rationali, quæ nos omnes* teste Seneca *liberos esse voluit.* Vilibus animalibus potiùs pecoribusq; servituti destinatis ejusmodi regimen est congruum. In solo tántùm DEO laudabile absolutum Imperium, qui in gubernatione sua nec falli, nec quidquam mali facere potest, eaq; de causa potestatis suæ non eget circumscriptione. Benè quoq; in Ecclesia Christi tale regimen succedit, quia illa habet assistentiam Spiritûs Sancti, qui Vicarium Christi in decidendis rebus fidei & morum dirigit, nec ipsum errare, aut perperam agere permittit.

19. Altera *Rerum-publicarum forma Aristocratia, Optimatum seu pluriũ quibus cæteri omnes parent Principatus, communem Reipublicæ utilitatem respiciens.* Si verò illi ab hoc fine id est à communi omnium bono ad privata commoda cum malo publico declinant, jam erit vitiosa *Aristocratia,* sive *Oligarchia.* Simile Aristocraticum Regimen usitatum fuit & commune pluribus in Græcia præcipue, Rebuspublicis, apud nos quoq; sub duodecem Palatinis bis practicatum, nunquàm tamen diuturnum & stabile fuit: *fere enim impossibile est* (inquit Bodinus) *ut pauci ita imperent, quin plures eorum Imperia oderint & detestentur, ipsiq; Optimates ad publicam omnium &*

 non

non ad privatam se accommodent utilitatem; brevis enim sit (necesse est) potestas, quæ multos invitos & infensos continet, cum præsertim faciliùs hæc plurium quàm unius evertitur tyrannis. Nam præterquam, quod ipsa parentium multitudo quos odit, semper perijsse expetit, ex ipsis etiam Optimatibus aliqui aut mutuas inter discordias injurijs affecti ulcisci exoptant, aut fractas tenuesq; res suas publicis malis resarcire, & in turbido piscari cupiunt, aut potentiam supra cæteros affectant, undè Populares effecti seditionum conjurationumq; Populi, Principes fiunt,

20. Habuerunt equidem varij varia satis efficacia ad manutenendam stabiliendamq; Aristocratiam remedia, attamen prævalebat morborum, quibus is Status obnoxius est malignitas sálubritati remediorum. Romani sub initijs, donec ipsis plebs & hoc non ademit, similiter Locrenses & Sparthani circa electionem Optimatum semper habuerunt majorem respectum Nobiliorum, & ditiorum. *In talibus enim* (ait Aristoteles:) *qui genere, institutione, indole, ac potentiâ prævalent, major est animus ad hostes arcendos, acrior ad Libertatem Patriamq; defendendam stimulus, in qua majores fortunas ac honores habent. Secùs illi, qui vel labore vel industriâ victitant, vel non multum se debere Patriæ arbitrantur, facilèq; alium Civitatis statum, aliam Patriam complectuntur, ubi suo labori & arti, vel inopiæ benè est.* Si verò plebs propter æqualitatem Juris, nullo modo excludi potuit, hoc adhibebant medium, quod licet non semper, sæpè tamen in bonum evaserat. *Dignissimi quiq; & omnibus gratissimi* (dicit Bodinus:) *ex Patribus atq; Nobilitate competitores Magistratuum proponebantur, atq; ita plebs verebatur imprimis tantam dignitatem, & in compa-*

ratione

ratione talium, vilitatem suam contemnebat. Ita sæpè olim Romæ Patritij evicerunt, ut nullus ex plebe ad Magistratum, licet illis quoq; idem Jus esset, eveheretur, cum sibi verecundiam quandam incuterent eminentissimi Patrum Competitores propositi.

20. Hocce suum medium aliâ adhuc substruebant arte; *cum* verò *scirent* (loquitur idem Bodinus:) *non vacare periculo, si in Aristocratico Statu inferior ordo à Republica omnino amoveatur, inde enim odium, indignatio, seditiones, cæteraq; sveta inconsultæ multitudini oriuntur mala, non omnino etiam plebem ab omni excludebant Magistratu, sed concedebant illi aliquam partem honoratorum Officiorum quo fiebat, ut Populus non tàm Optimatium, quam popularem potiùs æxistimaret Rempublicam, cum suos contribules ejusdem participes aliquomodo cernerent. Hâc verò spe & cæteri quoq; ex plebe allecti Optimatibus favebant, atq; Reipublicæ fidi erant, paria ab eadem expectantes; Officia tamen illa, per quorum functionem plebi partem aliquam Reipublicæ attingebat, non talia fuerunt, ut per illa Nobilitati exæquarentur, multo minùs præferrentur, sed quæ aliquantum dignitatis, nihil verò, aut vix aliquid potentiæ haberent, vix aliquid, aut nihil favoris apud plebem, multùm verò invidiæ conciliarent; eos, à quibus susciperentur, sumptu gravarent, ut nonnisi à ditioribus appeterentur, honoris dulcedine inescandis. Quod etiam hodie in praxi esse video apud Venetos, qui nonullas artium atq; opificiorum præfecturas Scribarum, Exactorum, & his similia publica Officia plebejis committunt.*

22. Subtile hoc quoq; stratagemma, quod olim Atheniensi Aristocratiæ porrexit Polistratus ad refrænandam plebem multùm sibi in Republica arrogantem, statumq; ipsius pertur-

perturbantem. *Sevéram ille ſvaſit* (dicit Pacuvius;) *Legem ferendam, ne Nobiles Magiſtratum recuſare, ne judicia, ne comitia, ne cætera id genus Reipublicæ munia ſubterfugere poſſent, at plebeji poſſent, ſi vellent, Nobiles arma ferre, inq; ijs exerceri, in hoſtem ire cogerentur; Plebeji Domûs reiq; ſuæ curam quieti haberent, ſi vellent, ita eâ lege in ſpeciem gravati Nobiles, ſublevati videbantur plebeij, re autem ipsâ id agebatur, ut plebs hujus beneficio favoris á Reipublicæ gubernatione excluderetur, minusq; apta ad id redderetur. Quod ſi mordicùs autem Rempublicâ tractare non negligerent plebeji, ſvadebat ille tempus dicendo, agendoq; extrahendum, donec tædio, ſuaq; tenuitate victi dilaberentur, tum verò Optimates & Nobiles de ſumma rei tractarent, concluderentq;: &c.*

23. Aliud multis quoq; gentibus non ignotum remedium, quod adhibebant contra ſimilia ex Ariſtocratico regimine pullulantia mala, fuit hoc: *Non unum, ſed aliquot* (inquit Contarenus) *Civium ſuorum diſtinctos inſtituebant Ordines; ita fecerat Martia Roma triplex Equitatu, plebe, Senatu, quæ diverſitas faciebat, ne facilè conſpiraretur. Nam Equeſtris imprimis Ordo cum ſciret oppreſſo á plebe Senatu ſuam quoq; authoritatem diminutum iri, ejus dignitatem ſartam tectam conſervabat, neq; Senatus ab Equeſtri Ordine opprimi timebat, cum plebem illi opponere poſſet. Eſt quidem hæc Ordinum diverſitas multarum in Ariſtocratico Statu Litiũ, diſſenſionum, turbationumq; cauſa, verûm id gubernantium fit vitio, dum Jus inæqualiter Ordinibus dicitur, dum unus deprimitur, alter cum præjudicio tertij extollitur; & quia id, quod ab unitate recedit, fit imperfectiûs,*

inter

inter inferiores superioresq; Ordines instituebant Patronorũ & Clientũ mutua quadã Jura, per quæ diversi Ordines veluti vinculis ac necessitudine quâdam inter se constringerentur. Hoc modo sexcentorũ Annorũ spatio gravissima seditiones, dissensionesq; Romæ inter Ordines vitatæ & sopitæ, neq; priùs ad sangvinẽ & civiles fuit ventum cædes, quàm ubi hæc vincula soluta, Clientumq; patrocinia neglecta. Manet adhuc in Germania Protectorum Nomen, & Jus antiquum, quod teste Tacito apud Veteres Germanos vigebat, quo multæ Provinciæ in Clientela potentiorum Familiarũ constituebantur: apud Venetos quoq; nondùm hæc consvetudo exolevit.

24. Tertia Rerum-publicarum forma *Democratia alias Regimen seu Imperium Populi communem Reipublicæ utilitatem spectans*; talis Reipublicæ forma fundatur veluti in quadam basi, in *Libertate* & *Æqualitate*. *Libertas* in eo consistit, ut regantur à Magistratibus per se electis juxta Leges â se latas; *Æqualitas* verò in eo, ut unicuiq; unum idemq; sit Jus parendi & imperándi, habeantq; in omnibus activi & passivi suffragij potestatem. Eô modô regebantur non paucæ Respublicæ præsertim in Græcia, ast non diu durabant: ista siquidem Regiminis forma, quia maximè ab unitate distat, ideò quoq; est imperfectissima, facileq; degenerat in *Ochlocratiam*, quæ solius tantùm plebis respicit utilitatem. Plebs enim, penes quam in Democratico Statu est summum Jus & potestas, quia est ex natura sua *tumultuosa & inquieta*, semper inter discordias & seditiones agitatur, quia est *suspicax*, & *malignè invida*, nequit non esse assiduò infesta Nobilioribus & potentioribus, proindè sibi cuncta usurpat, ad Magistratus & dignitates homines indignissimos modó audaces sint, elevat, ex quo certissima tyrannis ab uno potentiori vel pluribus

bus consequitur. Talis fuit (ut cætera transeam) *Romana Ochlocratia*, dum *plebi subrostraria* Leges ferebát, abrogabat mutabatq; cum Officia, Provincias, Exercitus pro Libitu suo conferebat, & adimebat, dum viros honestos & de Patria benè meritos *annua venali vendens suffragia campo*, exilijs & proscriptionibûs tollebat, *donec nimiam* (testatur historia:) *Populi licentiam Cæsar primûm, post hunc luctuosi illi Triumviri, tandèm solus Octávius Augustus discordijs, cladibusq́; civilibus fessam Principis nomine sub Imperium accepisset.*

25. Optima est quarta Rerum-publicarum forma *ex his tribus composita*. Monarchia (inquit Contarenus:) *Aristocratiæ, Democratiæq́; Legibûs temperata, ubi imprimis summa Regi certis tamen Legibus revincta sit potestas, ita, ut nihil mali, multum boni agere possit, legesq́; plus valeant, quám potentia: ubi Optimatium seu Senatûs vigeat authoritas, ubi deniq́; aliorum Ordinũ æquum justumq́; sit Jus, hæc optima maximèq́; diuturna Reipublicæ forma est*; quod expost idem Author tali deducit ratione: *Sapienter olim existimatũ, atq́; egregiè à multis constitutum est, ne hominum gubernatio soli homini demandetur, diviniùs enim quiddam esse oppotet cui principaliter onus & munus hoc incumbat. Cùm enim homo sit animal quoddam varium, & diversis constet partibûs inferioribûs, videlicet animi viribus, quæ illum sæpè perturbant & à recta rationis semita avocant, & Superioribus, quibus DEUM ipsum quodammodò attingit, quia tamen plerumq́; ab inferioribus illis viribus vincitur, pessimè illi suæ Réipublicæ consulunt, qui illam arbitrio, ita labilis hominis uniùs vel plurium committunt. Quærendum est ergo aliquid ipso homine præstantiùs, rectiùs & firmiùs, quod sit veluti mens quædam*

ita

ita pura, ut sit ab omni perturbatione prorsus immunis, ab ira, odio, cæterisq; similibus pestibus aliena. Talis autem mens Divino quodam Consilio, & munere concessa hominibus, sunt Leges, quas Aristoteles apellat mentem sine appetitu. Lex ergò, quæ homine ipso est quid præstantiùs & Diviniûs, hominum Imperia moderetur utpote nullis affectuum passionumq; morbis obnoxia.

26. *Et quoniam Leges sunt mutæ & sensu carent, necesse est, ut aliqvis Custos interpres ac veluti Vicarius illarum constituatur, qui pro Legibus ex Legibus Rempublicam regat. Hic rursus alia occurrit dificultas, an videlicet unus, an plures, an potius multitudo ipsa seu populus tuendis servandisq; Legibus atq; juxta eas Regendæ Reipublicæ sit magis idoneus. Regius unicus Dominatus communi jam multorum sensu Optimatibus multitudineq; habetur præstantior; nihilominus propter labile mutabileq; hominum ingenium, atq; vitæ brevitatem multorum potius gubernatio civili societati magis est conveniens. Nullum enim Regium Principatum omnibus ætatibus extitisse legimus, qui non in tyrannidem degenerasset aliquando è contra multas Respublicas sub gubernatione plurium multîs sæculis floruisse scimus. Et quia omnis multitudo per se gubernationi inepta est, nisi in unum aliquomodo coalescat, atq; unum quodammodô efficiatur, ideò temperanda erit Respublica, constituendaq; ex Optimatum, Populari, Regioq; Statu, ut ita unus Princeps civilem societatem colligat, atq; in unum conciliet, eô adhibito temperamento, ut neq; Regia potestas in tyrannidem, neq; Optimatum in Oligarchiam, neq; Populi in Ochlocratiam facile possit degenerare. Id verô commodè fiet, si incommoda atq; vitia cujuslibet regiminis formæ præscindantur, commoda verò virtutesq; adhibeantur.*

27. Hiscè omnibus evidenter conclusis facilè quisq; colgere potest, ideò nunc firmiores & diuturniores liberas Respublicas consistere, quod sint temperatæ, & à vitijs simplicium formarũ depurgatæ, ac exemptæ saltim á tantis & tam multis corruptelis, quibus abundant simplices Monarchiæ, Aristocratiæ & Democratiæ formæ, adeòq; liberorum Imperiorum Corpora consistentia in bona & quasi connaturali politicarum qualitatum temperie uti saniora, ita quoq; diuturniora permanent. Et si liberæ Reipublicæ in bono justi Imperij temperamento constitutæ excessu aliquô partium peccare nollent, certè perennarent: Qualis est in præsenti; (qui bené res ponderaverit) Respublica Veneta, ubi Monarchia in Duce, Aristocratia in Senatu, Democratia in Nobilitate ea cautione est circumscripta, ut (veluti præfatus Contarenus narrat) *nulli Reipublicæ Ordini insolescere liceat*. Ex eadem proindè causa ultra mille annos constanter & pacificè durat perennatq;.

28. *Differitur; quænam fuerint initia? qui progressus & incrementa Polonæ Libertatis?*

Sicut aliarum omnium rerum parva consveverunt fieri principia, ita & Libertatis nostræ vix verò-similia tantæ Majestati in qua modò eminet extitêre. Aborigines etenim nostri, ut potè gens rudior Dominorum suorum bona malavè arbitria habuerunt pro Legibus. Quàm primum verò excitatâ luce fidei Christianæ Ethnicam cæcitatem deposuerunt Reges, statim humaniores animos induêre, posthàc subditi quoq; degustatâ Christianæ Libertatis dulcedine, politicam etiam Libertatem magis degustare incæperunt, quam heroicis facinoribus apud Dominos & Reges suos merebantur, ac ità evenit, ut quasi mutuum, cum Miecislao primum plausibiliter inchoatum, & expost cum succe-

daneis

daneis ejus feliciter continuatum Antecessorum nostrorum certamen intercesserit, illi amore, fide, audaci pectore magnifica Dominorum suorum devinciebant corda; vicissim Domini, accumulatione Legum ac Libertatum magis sibi obligabant subditorum suorum animos. Non novum est legere in Actis Polonis, quod Progenitores nostri dum communi motu equos conscendebant, protunc plurimùm sibi Jurium & Libertatum evincebant, quasi quodam inter se & Dominos suos contractu, illi Capita & Pectora sua in obsequia Regum ferebant, Reges verò veluti stipendia maxima tribuebant ipsis, Privilegiorum & Libertatum augmenta. Sic videlicet accrescebat & augmentabatur sensim.

29. *Mavortiarum conscia mentium*
Regina Libertas Poloniæ,
Primus Honor Columenq́ Gentis,
Quæsita multo sangvine gloria
Reperta multo.

Attamen quamdiu adhuc Principum *sic volo, sic jubeo* pro Legibus, quamdiû eorundem *voluntas pro ratione* fuit, *allevabatur* solummodò *graviore jugo non liberabatur Nobilitatis conditio; adhuc enim* (teste Historiâ:) *& tributa pendere & alia servituti propria onera, quoties & quantum Principi libuit, subire cogebatur.* Temporibùs Casimiri Magni insignis Libertatis accessit portio, dum is Rex primus ex omnibus, Leges, quæ sunt fortissimus murus ad stabiliendā & muniendā Libertatē conscribere, & promulgare incepit. Proindè successu temporis partim ex gratiâ, partim ex conniventia & indulgentia Principū augebantur Leges, quæ non solum subditos, sed ipsos quoq; Reges obstringebant, ij siquidem agnoscentes probatam erga se se fidem

& amorem ſubditorum ſuorum, non erant potentiæ anxii, & ita ſenſim de ſuo Jure & poteſtate remittendo, ulterioris temporis ſuccedente tractu eô magis laxabant fræna Libertati, hôc contenti, quod liberæ genti Dominantibus firmiſſimum ſit munimentum, munimento non egere.

30. Máximè tamen augeri, & veluti grandeſcere cæpit Libertas noſtra eô tempore, quô eam exteri cum ambitu Regni prehenſare cæperunt; hi etenim eam inſignibûs augmentis veluti arrhîs quibuſdam circa prima cum illa ſponſalia dignabantur. Ut tranſeam Venceslaum Bohemiæ Regem, qui magis tumultu factione & fraude Griphinæ Leſci Nigri Uxoris, quàm Civium ſuffragijs irrepſerat; primus, qui Libertati noſtræ cum tota Familia ſeſe commendaverat, fuit Ludovicus Hungarus; ille imprimis grave illud annuum tributum agrarium vulgo *Poradlne* vocatum, quod & *Regium* apellabatur, cum alijs multis ſervilis conditionis obligationibus magna ex parte è collo Nobilium deponens, multis immunitatibûs Libertatem noſtram cumulavit; hôc tamen cunctîs aliîs pretioſiore adornavit eam Clenodiô, dum Jus Liberæ Electionis, quod antehàc ſolâ conſvetudine idq; non ex omni parte integrum penes Ordines Regni perſiſtebat, datô à ſe Privilegiô ſtabilivit, per quod *adamantinam hanc turrim* (ſic eam vocat in ſermone ſuo Georgius Oſſolinius,) Electionem, in qua nunc aureum Libertatis noſtræ vellus primò & principalitèr conſervamus, firmiſſimîs munivit repagulis.

31. Hoc quoq; non leve momentum Libertati noſtræ attulit, quod Reges de illimitata, & quaſi abſoluta Regalium bonorum diſpoſitione remiſerunt; Id primùm Ludovicus facere inceperat, ut ex Privilegio ejuſdem liquet. *Hinc enim* (teſtatur Orzechovius:) *novæ Libertati magnum impendebat periculum*, *ne Rex bonis ſuis per obligationes, donationes,*

nationes, venditiones, cæterasq́ alienationes notabiliter accisis, aut distractis in privatas Civium fortunas violentus involaret aut vetera, novaq́ tributorum onera imperaret. Timebatur & hoc periculum, ne Regni partes a suo corpore avellerentur, ut olim *per similes illimitatas dispositiones factum fuerat.* Casimirus III. quia Statum Nobilitarem ad publica Reipublicæ consilia, (quæ ipsi solum cum Senatu agitabant & concludebant Reges;) admisit, planè in pedes erexit Libertatem, de quo ita nostra loquitur Historia: *Vislicia Rex conventum Minorum Polonorũ egit, subsidiũq́ ad exsolvenda Prussica stipendia militi postulavit; quod non abnuebat quidẽ Nobilitas, verùm sine majoribus Polonis sciscendum sibi esse non putavit, quare placuit binos è Satrapijs seu Palatinatibus ad Comitia Generalia Petricoviã mitti, qui decernendi in commune moderati tributi potestatem haberent, atq́ hoc tùm-primùm fieri captum, posterioribus verò temporibus ita inolevit, ut sine ijs Legatis seu Nuntijs Terrarum nulla Comitia legitima haberentur; Neq́ tributum decerni, ac ne Lex quidem ulla fieri posse videretur, potestas verò eorum adinstar Tribunitiæ apud Romanos, vel Ephororum apud Lacædemonios esse cæpit, nam tantum ij nostrâ ætate arrogare sibi cæperunt, ut nullam rem majorem injussu suo decerni à Rege & Senatu, aut fieri vellent; Et in Senatum atq́ adeò Regem ipsum Jus atq́ censuram grandi supercilio sibi sumerent.*

32. *Ad extremum crescente in Dies insolentiâ non accipere, sed ferre Leges aggressi sunt, aluerunt autem hanc eorum licentiam eoq́ magnitudinis sensim provexerunt partim Reges Superiores multa ijs indulgendo, sive inopiæ sui fisci, relevandæq́ gratiæ, sivè quieti & otio*

suo

suo consulentes, partim potentiores & factiosi nonulli Proceres certatim eos prehensare, & epulis largitioneq; corrumpere, & quocunq; libuisset incitare, & quasi tibias inflare adorti. Idq; sivè ut gratificarentur, sivè ut ægrè facerent Regibus, sivè ut potentiam suam stabilirent, æmulosq; suos deprimerent, aut ulciscerentur, sivè deniq; ut per eos subornatos, quà jure, quà injuriâ, id perficerent, quod apertè per se ipsi vel aggredi non auderent, vel efficere non possent. Equidem salutare est in Republica esse Custodes Libertatis communis, cæterùm providendum, ne, quod ad salutem comparatum est, abusu vertatur in perniciem, metuendumq; ne infinita potestas ista, & in licentiam erumpens Libertas prostrata & eversâ Regiâ Majestate, & Authoritate Senatoriâ summam Reipublicæ confusionem, & barbaram quandam exitialemq; Anarchiam Polonis pariat, aut certè gravi & acerbâ finiatur tyrannide, quorum utrumvis eò quidem propiùs impendere videtur, quò juniores, & imperitiores rerum, eoq; audaciores ad id munus obeundum eligi, adeòq; sese ultrò ingerere cæperunt, undè in consultando usu venit, ut non id obtineat, quod gravissimis, sed quod loquacissimis clamosissimis, & minacissimis placuit. Sic Romana Respublica amplissima quondam & Florentissima à Tribunitijs furoribus exagitata, primùm in licentiam multitudinis intolerabilem effusa, deindè seditionibus,

civi-

civilibusq; bellis quassata in paucorum Dominatum, ac mox sub unius tyrannidem recidit.

33. Is proindè ad consilia Statûs Nobilitaris accessus veluti *Clavis Aurea* (ut Orzechovius in manuscripto loquitur:) fuit quâ sibi Libertas non modò ad tantam potestatem, sed insuper ad abusum & insolentiam aperuit aditum. Sigismundus quoq;. alter Rex non tam conferebat, quàm potiùs projiciebat Genti nostræ beneficia Libertatis, per quod verum sese nobis exhibuit *Augustum*, quia sicut Romanus Augustus Romam, ita is nostram Libertatem invenit *Lapideam*, fecit *Auream*. Adhuc tamen supererant antiqua magna impedimenta, quæ perfectæ Libertatis proceritati ponebant obicem; titulus inprimis hæreditatis, quem sibi Reges à Vladislao primo incipiendo usurpabant, nominantes se *Hæreditarios Reges*, seu Principes Poloniæ. Id quoniam absoluti Dominij prætensionis trahebat sequelam, liberæ imprimis Electioni jam sufficienter Legibûs firmatæ, ad extremum ipsi quoq; Libertati periculosum fuit; Verùm id circa Electionem ab Henrico Rege evicimus, quod huic titulo primus renuntiavit. Alter obex Libertatis post Sigismundum Augustum remanserat, quod Reges absolutam judiciariã in vitam, honorem, & fortunas Civium habuerint potestatem, hoc quoq; circa Electionem Stephani Regis abrogavimus: Is ultimæ instantiæ Judicia, quæ antea ipsi Reges cum Senatu concludebant, constituto Tribunali in Nobilitatem transtulit, & quasi *in manu Consilij sui* posuit Libertatem, de quo Andreas Lisiecki Instigator Regni in splendoribus Tribunalis ita loquitur.

34. *Quanti tàm pretiosam in Patria nostra Tribunalis Regni gemmam æstimare debemus, exindè quàm maximè perspicuum est, quia ejusmodi Judicium concludit*

cludit in se tria rerum humanarum inter alia cuncta sub sole maxima ac principalissima, ad quæ alia omnia ceu ad fontes suos confluunt, vitam scilicet, honorem & substantiam Civium. Ea quamdiu in manibus & dispositione Dominantium extiterant, tamdiù per apellationes quærendo justitiam ultimæ instantiæ, post curiam peregrinari cogebamur; Hinc semper sub metu servitutis assiduò sub ictu oppressionis exstiterat Libertas nostra. Consulat, qui volet Orzechovium *in fideli subdito*, quanta (ut cæteros transeam:) sub Sigismundo Augusto quamvis jam sufficienter adultæ Libertatis fuerit oppressio; ad ea deventum fuerat, quod sub Turcica satiùs tyrannide angustiati Cives fortunatiùs sibi degere existimaverint. Longo inibi cathalogo ex illis antiquis Judiciariæ Justitiæ oppressionibus enumerato *Orichovius* ita Regem alloquitur: *Tantum nobis obest Regiæ potestatis tuæ apellatio, ut nulla res nobis obsit magis; ita quod oppressis solatio debuit esse, jam est factum exitio: &c. Quamobrem hujus tantæ ac tam fœdæ, postremæq; servitutis sit aliquando vel sub te Rege finis aliquis: satis jam diu miseri fuimus, satis servivimus &c. Quod si feceris, cessabit hic communis luctus, cessabunt querelæ, cessabunt illa etiam miserorum vota, Turcæ potiùs dominatum præoptantium &c.* Sint à Gente nostra immortales cum inextincta gratitudine gratiæ Magno Stephano, qui hos *tres pretiosos uniones, vitam, substantiam & fortunam* Civium in Tribunali Regni cum Judicijs ultimæ instantiæ Libertati nostræ adjiciens, illam à metu servitutis ex tanta potestate procedente, ac demùm ab oppressione injustitiæ liberavit, & quasi in plenitudine perfectionis constituit. Erat quidem à Miecislao primo incipiendo, Libertas nostra semper alicujus sui Juris, verùm sub potestate Principum *veluti pupilla sub tutoribus*

plus

plùs minusq́ pro incrementi ætatisq́ ratione concedentibus frequenter, ast nonunquam aliquo prælationis Jure concessa diminuentibus, aut prorsùs auferentibus; & ita sub alijs Regibus *infantiæ pueritiæ & adolescentiæ annos exegit, sub Stephano primùm matura, perfecta & emancipata constitit, ac sui juris beatissima esse cæpit.*

25. *Differitur, quid sentiendum de firmitate diuturnitateq́ Polonæ Libertatis*

Ut aliæ cunctæ res in Orbe, ita quoq; Regna & Dominia, quæ principium acceperunt finem non effugiunt; & hæc est infallibilis experimento totius mundi per annorum millia firmata veritas. Id quamvis in profundo fatorum delitescat arcano, quia tamen non desunt signa, quibus Imperia suorū commonefaciant eventuum, proindè non inutilem fore puto curiositatem augurandi, quàm procul adhuc Patria nostra cum sua Libertate ab hac communi necessitate distet; Qui Historias, & in illis ruinas Regnorum reflexè introspiciet evidenter dignoscet, quod cuncta præcipuè ampliora habuerint certos suæ durationis terminos, & quasi fatales periodos, quæ ipsis notabiles vel in pejùs, vel in meliùs mutationes, seu totalem ruinam attulerunt. Tres ego ejusmodi inter alias insigniores considero periodos: Prima consvevit esse circa Annum 250. ita legimus, quod potentia Medorum duravit Annis 220. Monarchia Persica á Cyro inchoata floruit Annis 230. usq; ad Darium, quem debellavit Alexander. Græca Monarchia ortum habens ab Alexandro evanuit post Annos 250. á Romanis subjugata. Romana Respublica post pulsum ultimum Regem Tarquinium cum Consulari Imperio mutationem invexit Anno ab Urbe condita 245. Dominatus Longobardorum in Italia, quem Carolus Magnus sustulit ad extremum duravit Annis 240. &c.

36. Altera periodus, circa quam ante vel post notabiles in Regna mutationes seu ruinæ invehi consveverunt est Annus 500. Ita Assiriorum in Asia Imperium persistebat Annis 520. quibûs elapsis translatum est ad Medos. Atheniense Regnum inchoatum à Cecrope perseveravit ad Codrum Annis 490. quô tempore Monarchia mutata est in Democratiam. Totidem Annis Lacædemonensis Respublicâ floruit usq; ad tempora Alexandri Magni, sub quo collapsa est. Post totidem ferè Annos Macedonum Regnum concidit, Romani Consules administrabant Rempublicam formâ gubernationis mixtâ Annis 500. quam Augustus Octavius in Monarchiam mutavit. Hæc verò Monarchia ab Augusto post Actiacam victoriam inchoata circa eandem quingentorum annorum periodum in Occidente post interemptum Valentinianum, per ferarum gentium incursiones distrahi cæpit, ac cum Augustulo ultimo Imperatore Occidentis corruit unà cum Nomine Imperatoris. Post Valentinianum, distractum ac colapsum Imperium innovavit ac erexit Carolus Magnus circa quingentesimum Annum ab eo tempore, quô Constantinus Magnus Sedem Imperij ex Urbe transtulit Bizantium in Orientem. Regnum Hungariæ post quingentos Annos rumpi, & sub jugum Turcicum ire cæpit: &c.

37. Notabilium mutationum sive Ruinarum Regnis supervenire solitarum periodus est Annus septingentesimus. Carthago cum sua Republica ab exordio suo usq; dùm ipsam Scipio Æmilianus demolitus est, numeravit annos aliquot supra septingentos. Civile bellum inter Julium & Pompeium, quòd Libertatem Romanam sustulit, accidit à condita Urbe Anno septingentesimo quinto. Et ita duplices tunc coinciderunt Periodi; una ab instititutione Consulum quingentesimo Annô, Altera à condita Urbe septingentesimo. Similes his falales periodos in alijs omnibus Regnis advertere

poterit,

poterit, qui diligentèr ruinas eorum fcrutabitur. Quod attinet noftram Poloniam, fubijt hæc infignem mutationem in periodo quingentefima à Lecho primo computando usq; ad Boleflaum Chrabri, quando à Ducali Celfitudine ad Regiam Majeftatem evecta fuit circa Annum 1001. à Chrabri ad Pudicum elapfa eft quoq; periodus ducentefima vigefima quinta, quæ quantas calamitates nobis attulerat ab incurfionibus Paganorum, notum eft ex Hiftoria. A Pudico ad modernum tempus incidit quingentefima, à Chrabri feptingentefima periodus. Hæ, quæ nobis allaturæ funt, quilibet poteft ex ijs, quæ fiunt, non vanè divinare.

38. Quandocunq; verò ad tales periodos Regna deveniebant, præcefferunt femper quædā figna, ac quafi proximæ caufæ mox fecuturæ ruinæ, aut brevi imminentis mutationis. Inter hæc prima eft *Civilis difcordia*, quam *tineam, venenum, peftem Rerumpublicarū* Politici ex æquo nominant, præcipuè fi inter Status veluti inter principaliora Corporis Reipublicæ membra, & pejus adhuc, fi inter membra & Caput Reipublicæ exoriatur; Quia certò certiùs eft, quod tunc cuncta in Republica convelli & deftrui debent, dum potentiores adverfùm fe confurgunt; ejufmòdi collifiones nequeunt non effe lethales Reipublicæ, aut ad minimùm fædâ mutatione corpus illius deturpantes. Ingeniosè fatis in antiqua Romæ fuperftitione cis politicum annotat arcanum Contarenus: *ab extis* (inquit:) *animalium de fucceffibus Reipublicæ fummebantur auguria*, pro documento, quòd ab internis Civium difpofitionibus cuncta feu bona, feu mala proveniant Reipublicæ. Qui florentes olim, nunc verò collapfas Reipublicas contemplatus fuerit, nullam ferè inveniet, *quæ ab hoc interna difcordiæ filo* (atteftante Lipfio) *fui interitûs telam non fuerit orfa*, ibi præfertim, ubi Status Democraticus fupra alios popularē extulit potentiam.

 Cùm

Cùm enim quælibet popularis multitudo ex natura sua sit levis, contumax, tumultuosa, violenta, *furenti turbini* (ut sentit Plato:) *persimilis*, expeditior ibi impetus ad gladios, quàm ad Leges rationis, citiùs furor arma & tumultum, quàm prudens dexteritas pacifica remedia ministrabit. Læsi verò altiores Ordines & Personæ scribunt in Marmore, ac proindè aut communi ruinæ se aliosq;, per consequens etiam totam Rempublicam involvunt, aut insolentem popularem potentiam mutatione præsentis Statûs còercerent.

39. Nunquam ulli Reipublicæ benè evenerunt, verùm aut ad interitum, aut mutationem, vel notabile detrimentum deduxerunt illæ insectationes & injuriæ quibûs potentiores in Republica exacerbantur, præcipuè si illæ contra ipsos à publica promanent authoritate, vel si privatè sub protectione publica impunè inferantur. Illi etenim ignominiam aut injuriam concoquere non valentes, malunt omnia publicè fieri mala, quàm privatæ quidquàm decedere dignitati. Hinc oriuntur bella Civilia, indè perniciosæ publico bono factiones, indè cum exteris propter protectionem cointelligentiæ, indè apparatus ad inimicam æqualitati ac consequenter Libertati armatam potentiam, quæ cum efficiat, ut fortior credatur esse melior, confundit omne jus, Statum Militarem præsentissimô Libertatis exitio in Rempublicam inducendo. Ejusmodi in Republica contra potentiores motus, sunt similes illi, qualis fuit humilioris graminis, quod cum messore conspiraverat, ut eminentes supra se herbas radicitùs excinderet, quod cum ille præstat, eadem ruinâ gramen quoq; involvit: &c.

40. Leges communiter spiritum & animam Regnorum ex æquo vocitant; Ubi proindè is spiritus langvet & suffocatur, ubi hæc anima in Politico Reipublicæ corpore suas vitales operationes ita ut potest, ac debet, non exercet, jam indicium

ndicium certum vel proximæ mortis & interitûs aut gravis paraliticæ affectionis. Ut posset Augustus Libertatem Romanam sub Principis Nomine suo subjicere Imperio, sive potiùs in servitutem redigere, multùm ipsi quidem profuit, quod cuncta erant discordijs Civilibûs inter certamina potentium fessa, verùm hoc prorsùs in ultimum præcipitium Libertatem protrusit, & ipsam cunctis odiosam effecit, ac servitutem sapere condijt,, quod Leges in contemptum abierant. *Nec Provinciæ* (teste Tacito:) *eum abnuebant Statum invalido Legum auxilio, quæ vi, ambitu, pecuniâ turbabantur*; Proindè maluerunt sub Domino, quàm sub exlege Libertate uivere.

41. Quòd quamlibet Rempublicam salubria consilia, & virtus bellica ceu duæ firmæ sustentent columnæ, ipsa politica ratio, ac totius Orbis docet experientia; ubi hæc duo columina nutant, ibi brevi secutura totiûs quoq; Reipublicæ structuræ ruina præstolanda. Id habuerunt in fatis Troiani, tamdiù eorum Rempublicam in flore duraturam, quamdiu penes ipsos remaneret *Palladium*, Statua scilicet aurea *Palladis*, quam ut prudentiæ & consilij, ita etiam belli præsidem fingebat antiquitas. Simile quid habuerunt Romani, quorum integritas ab *Ancili*, hoc est à demisso cælitus clypeo dependebat, in quo (ut testatur Diodorus Siculus:) *Caput Jovis Palladem parturiens divinitus expressum cernebatur*. Hisce fabulis ingeniosa antiquitas superstitiosos populos edocere intendebat hanc veritatem, quod in salutaribus consilijs, gestisq; heroicis securitas & integritas Regnorum inclinata recumbit, fata, ruina ac exitium illorũ trahit post se ruinã ac interitũ Reipublicæ.

42. Quemadmodum, dum æger gravibûs constrictus paroxysmis ad hoc devenit, ut morbi mala, quæ ipsum conficiunt, penitùs non sentiat, jam id vulgo lethale reputatur

signum:

signum: ita pariter Respublica dum sic fiet affecta, ut gravissima mala & calamitates publicas non sentiat, dum Cives, & præsertim hi, ad quos principaliter id spectat, opis aut aliquid, aut nihil afferunt, sed potiùs alia omnia agunt, signum est aut proximæ ruinæ, aut detrimenti Reipublicæ. Hæc sunt inter alia signa infallibilia, quæ in omnibus, liberis præcipuè Rebuspublicis mutationum aut ruinarum fatalia comitabantur. Revolvens Historias, haud difficulter rei agnoscet veritatem. Nostra verò Polonia quid expectare debeat ex scrutinio præsentium malorum, *quæ populos sæpè messère potentes*, quilibet quæ voluerit, faciat auguria.

43. Qui tamen voluerit fortunæ Poloniæ politico blandiri conceptu, posset adhuc ut ut desperatis illius rebus *ex duobus Capitibus* benè ominari: *Primum* potest esse *omen* ex profundo benignioris fati arcano; Audivi quendam Senatorem disserentem, qui affirmabat, quod Providentia Divina spectans dissentientes, discordes, inordinatosq; Polonos, nolensq; illorum interitum, curam particularem in se eorum assumpsit, in speciali eos sua protectione tenendo. Utiq; hæc Providentia Protectionis Divinæ efficit, quod etsi assiduò labimur, tamen stamus, quotidie Ecclypsim patimur, attamen proùt Sol post occasum exoriens clarescimus, continuò ad interitum vergimus, & tamen spiramus imò à ruina fermé ac ab urna desperanti de fortuna nostra, aut insultanti infortunijs nostris Orbi vicissim insultamus.

At nondum Lechiam vicina inferte sepulchro
Regna, nec aut Tyberim fletu, aut attollite Rhenū,
Stamus adhuc ipsis suffulti casibûs, inter
Fortunæ fatiq; vices: sub pondere tanto
Succubuisse Orbis poterat, Gens Lechica stamus.

44.

44. Contigit audiviſſe à Viris dignis eò collimantem Politicum conceptum, quod cernens ea Altiſſimus, quæ in Polonia aguntur ſi de illo ut in humanis experimur ſentire ſimiliter liceret, concludendum foret, quod apud eum mundus ſit veluti Aula Magni Principis, & quemadmodum in Aulis Principum Aulici ac Perſonæ, ita in hac Aula DEI Regna ac Imperia in varios ſubdividuntur Ordines, ac diſtincta exercent Officia & functiones: Polonis proindè inter alia hanc quoq; functionẽ commiſit, ut ipsũ recreent, jociq; præbeant materiam. Nam dum DEUS ex alto noſtra Comitia, Comitiola, bellicas expeditiones, gubernium & alia ſimilia inſpicit (dicendo humanitùs:) nimium recreatur. Eò collimavit noſter Pòëta Polonus, dum DEUM ſic affatus eſt:

Mens alta Superûm, ſæculis major DEUS,
Si te movere riſus aut jocus poteſt
Credo Comædam Lechiæ Gentem fore
Dum cernis ejus ire res cœcò modò.

Ne igitur hæc Comædia peragat Epilogum, commiſit Poloniam noſtram Providentiæ ſuæ in ſingularem tutelam, ne ipſam penitùs collabi permittat. Joci, hæc quidẽ ſunt ingenioſi Politicorum; id tamen eſt certum Providentiam Altiſſimi nos fovere, & ab extrema ruina gratioſè relevare.

45. *Alterum* Libertati & fortunæ Polonæ poteſt eſſe *omen* ex hoc fundamento: aliorum præſertim antiquiorum, quæ conciderunt gentium Libertas fuerat ac ſi *imperfectus* & *abortivus partus,* quia ipſis ut plurimùm nata eſt ex cædibus & Monarchomachijs Dominantium, aut etiam ex violentis ſubjectorum ſeditionibus, quibus adacti Principes de ſuo Jure & poteſtate multum remittere, ac ſubindè ex toto cedere debuerunt. Haud mirùm proindè, quod ejuſmodi illorum Libertas ſicut robore perfectionis caruit, ita quoq;

perennare non potuit. Ad hæc apud eos fuerat plebeium & populare non Quirinum decus, utq; extortum, ita & repositum in Manibus plebeis, exindeq; nec pro dignitate tractari, nec pro perennitate servari valuit. Reor non casu, ast arcanô quodam fatorum consilio in ipsis Libertatis in cunabulis accidisse id Romæ, quod ex Livio didici. Post pulsum Tarquinium Tyrannûm Regem furibunda plebs sicut alia relicta mobilia, ita demessam in illius campis segetem in Tyberim dejecit. *Tenui tunc* (lopuitur Historicus:) *ut medijs caloribus solet fluente aquâ, ita in vadis hæsitantes frumenti acervos sedisse limo illitos, Insulam indè paulatim ex alijs, quæ fert, temerè eodem invectis factam, ut tunc eminens area, firmaq; Templis ac porticibus sustinendis esset.* Hanc Insulam Romani magno consensu Libertati dedicârunt, ac Liberas Gentes quamvis non intendentes docuerunt, quod in stramineo fundamento suam collocent libertatem, quicunq; curam illius arbitrio inconsultæ plebis committunt. Cùm etenim in plebe & populo levi nec mens, nec ratio, nec consilium, nec moderatio esse potest, debet quoq; ipsa Libertas ejus commissa manibus omnibus fermè præsidijs, quibus conservari consvevit, destitui, ac proindè cœco plebeji furoris impetu in præcipitium ferri.

46. Qualiter Romana Libertas inter plebeios furores constitura fuerit, audiamus *Titum Quinctium*, qui apud Livium cum plebe expostulat: *Nobis vix aliquis Imperij, quia vobis nullus est Libertatis modus, quid vobis ampliùs vultis? Tribunos plebis concupistis, concordiæ causâ concessimus; Decem viros desiderâstis, creari passi sumus, Decem virorum vos pertæsum est, coëgimus abire Magistratu; manente in privatos irâ vestrâ mori atq; exulare Nobilissimos, atq; Honoratissimos Cives passi sumus;*

mus; Tribunos plebis iterùm creari voluistis, creavimus. Consules facere vestrarum partium, & si Patribus credebamus iniquum, Patritium quoq; Magistratum plebi donum fieri vidimus. Auxilium Tribunitium provocationem ad populum Scita *plebis injuncta Patribus; nostra Jura sub titulo æquandarum Legum oppressa tulimus & ferimus; quis tandem erit finis discordiarû? quando unam Urbem, quando communem hanc Patriam habere licebit? Victi nos oppressiq; æquiore animo vigescimus, quàm vos victores.* Ita plebeia potestas, in qua principaliter apud antiquiores Nationes sustentabatur Libertas, Respublicas commiscebat, evertebatq;. Exindeq; *plebeia Libertate instituti populi* ac signanter Romani *ultrò provocabant pericula, lacessebant hostes quærebant bella, ut hâc ratione imprimis turbulentæ plebis multitudinem ex Patria velut corruptum ex venis sangvinem emitterent, cæteros verò communis periculi metu, velut vinculo quodam constrictos in Officio continerent.* Eadem de causa Scipio disvaserat, alijq; perspicaciores ut poterant contendebant, *ne Carthago æmula & inimica Nomini Romano everteretur, ut Romanus populus inter ortia Reipublicæ turbulentissimus semper haberet hostem, in quem iram odiumq; à Civium Capitibus transferret.* Ad extremùm expertæ sunt id Liberæ Nationes, quod *pessimè cum Libertate agitur, quando servire natis & assvetis tractanda committitur manibus.* Felicior hac in parte nostra Polona Libertas, quod non ex tumultibus, aut cædibus, neq; ex Monarchomachia, sed à virtute primùm, fidelitate & audaciâ Nobili, ac demùm à gratia & amore Regum Dominorum nostrorum sicut initia, ita quoq; ulteriora sua sumpsit incrementa. Habuerat equidem nutrimentum à sangvine, verùm ab hostili, non civili sumebat à vulneribus

vigorem, verùm pro Patria & dignitate Majeſtatis ſuſceptis; In eo tamen fortunata, quod aureum Caput ſuum pro prima qviete in ſinu Nobilitatis repoſuit, in eoq; fata adolevit.

47. Inſiſtendo omniũ Politicorũ communi à corpore humano Allegoriæ, ſub qua ipſi Reſpublicas proponere ſveverant, noſtra Polonia talem cum corpore humanô Analogiam habere poteſt: *Rex* eſt in ſupremo loco ut *Caput*; ex eo influentiæ, indè Ordo in totum corpus promanat. *Cancellarij* qui vocantur *os Principis*, ſunt veluti *lingvæ*, partim quia placita Principũ in Senatu promulgant, partim quia Eorum eſt Officij maturi Judicij examine prælibare tam ea, quæ Principi à ſubditis, quam quæ à Principe ſubditis proponuntur. *Mareſchalci* ſunt veluti *oculi*, quia illi in Conclavi ad latus Domini cavere ſecuritatem & authoritati Majeſtatis proſpicere debent. *Referendarij* & *Secretarij* ſunt tanquam *aures*, per quas ad Dominum ſupplices libelli referuntur. *Theſaurarius* in Republicá *hepatis* vices ſubit, nam ſicut hepar toti corpori plùs vel minùs boni vel corrupti ſangvinis ſubminiſtrat, ita & theſaurus monetâ vivificat aut inficit, enervatq; Rempublicam. *Senatores* ſunt ceu *dentes* ſuo Ordine diſpoſiti, illi etenim ſana Conſilia maſticando, ſalubre alimentum Reipublicæ ſuppeditant. *Exercitus manuum* Officium ſupplent, partim quia ab hoſte Patriam defendunt, partim quia alimentum ac mercedem ex ea colligunt. *Status Nobilitaris* eſt veluti *pectus*, quia & in pace liberâ voce, quæ ad pectora ſumit exordium, & in bello maſculo corde, quod etiam in pectore natura collocavit, pro integritate Patriæ, proq; propriis Libertatibus ſeſe opponit. *Ventris* loco videtur eſſe *Status Spiritualis* non tantùm exindè, quia ſicut pro ventre omnia ália membra, ita Spiritualibus omnes fermè Status contribuunt, verùm etiam

ex eo,

ex eo, quod ſicut cuncta ventriculus conſumit in bonum & commodum membrorum, ita quæcunq; à Sæcularibus Status Spiritualis obtinet ac percipit, illa viciſſim in eorundem commodum ac bonum per functiones ac labores Saerdotales refundit. *Pedes* in hoc Corpore Reipublicæ ſunt *plebeji Status homines ac Cmetones*, qui in infimo gradu conſtituti ac veluti in terra repentes ſuis mercatorijs induſtriis, opificiis, ac agrarijs laboribus totam Rempublicam quodammodò ſuſtentant, ornant, ac animant.

48. Ad extremum in hoc politico noſtræ Reipublicæ corpore Libertas noſtra eſt cor, quæ quia non in pedibus plebeji arbitrij, uti quondam in alijs Nationibus, eſt in pectore, in Statu ſcilicet Equeſtri ſedem fixit, licet exindè augurari, quod ad hæc fata, quæ aliarum gentium Libertatem jugulârunt, ſaltim non tàm facilè ſit perventura, dummodò *Statum Militarem* id eſt tumultuarium & violentum agendi modum in noſtra Conſilia & Negotia publica præſertim in Comitia electionis Regum non introducamus, quia hac de cauſa fermè ubicunq; viguit *Democratica Libertas*, interijt. Certum quidem eſt, quod Libertas noſtra nequeat non eſſe inquieta, quia *ſuſpicax & timidum eſt ingenium Libertatis*: verùm eſt, quod continuò penè debeat turbari, & turbare, aſt id inde provenit, quod *res eſt ſolliciti plena timoris amor*, ipſam mentionem horret ſervitutis, ſolâ ipſius visâ umbrâ contremiſcit. Authores fabularum affirmant, quod naviganti Colchos Jaſoni fortuna ventos ſcrinijs incluſos, quibus ad proſperam navigationem uteretur, contulerat. Hoc aureum vellus quia pro ſymbolo reputamus Libertatis noſtræ Poloni, fateri cogimur, quod veluti Jaſones in navicula Reipublicæ fluctuantes à jactatione turbulentorum ventorum liberi haud eſſe poſſumus.

49. Hoc tamen inter præſentem noſtram minùs quietam,

 ac inter

ac inter aliarum Gentium Libertatem, quæ plebejis manibus decus hoc concrediderant, intercedit discrimen, quod aureum Libertatis nostræ vellus patiatur quidem inquietes, fortunatos tamen aliquomodò, quibus jactatur, ventos, similes illis, de quibus Poeta:

Cùm levis alterno Zephyrus concrebuit Euro
Tunc miti virides agitantur flamine culmi,
Et benè maturas impellit ventus aristas.
Huc atq; huc it summa seges nutatq; vicissim: &c.

Plebejam verò antiquarum gentium Libertatem Æolij agitabant turbines non absimiles illis, de quibus Poeta alius:

Illi indignantes magno cum murmure, montis
Circum claustra fremunt, tandem velut agmine facto,
Qua data porta ruunt, & terras turbine versant.
Cuncta ferunt rapidi secum, jactantq; per auras.

Difficile proindè fuit inter Plebejos turbines subsistere Libertati, arduum, ut lapsum effugeret: Nostra verò Libertas quia inter Nobiles & ingenuos agitatur motus, facilè tranquillari potest, ac ad ruinam non tam celeriter devenire, imò quemadmodum communes venti inter alia commoda, quæ sublunaribus præstant, id quoq; efficiunt, quod segetes, arbores, aliaq; incrementum sumentia magis radicant, ita hæ etiam nostra in Republica revolutiones, sæpiùs non solùm non nocent, verùm magis solidant, stabiliuntq; Libertatem, dummodo Nobilem Libertatem ad plebejos tumultus assvefieri, militari & violento agendi modô factiones moliri, & in turbido turbationes sedare nolimus. Quàm primùm enim inter nos exorietur pupularis turbo, indispensabiliter aut viribûs destituet, aut penitùs evertet Libertatem.

50. *Differitur, quid maximè timendum Libertati Polonæ?*

Quod Seneca de homine, id quivis Statifta de Libertate fentire, ac afferere poteft. *Licet fape feriaris, licet multi in Te gladij concurrant, parùm tamen refert quàm multa fint vulnera, cum non poffit ampliùs quàm unum effe mortiferum.* Subjacet ægritudinibus, patiturq; vulnera Libertas, ex quibus aliqua funt, quæ plùs aut minùs afficiunt, alia mortifera malignitate conficiunt. Cui eft animus ad Hiftoricam Lucem politicâ anotomiâ fuper extinctis tot Gentium Libertatibus occupari, clarê id perfpiciet, quod quævis ex illis tunc interijt, quando Cives neglectis ordinarijs pacificis medijs militarem, hoc eft violentũ armatũ agendi modũ in Judicia, Confilia, Electiones, aliofq; publicos conventus induxerunt. Proximi utiq; funt Ucalegones Hungari ac Bohemi, quorum Libertas noftræ modernæ per omnia olim fimilis primùm inter violentas electiones agonizare cepit, quæ malignitas quia in dies in Republica magis invalefcebat, ad extremûm Libertatem fuffocavit, Idem quoq; & noftræ Polonæ Libertati ceu mortiferum vulnus pertimefcendum. Quod cor in Phyfico animali id fermè eft Libertas in politico Reipublicæ corpore. Notum verò eft, quod pluribus cor fit expofitum affectionibus, medici tamen binas affignant; *Syncopen & Palpitationem*, cujus rei caufam adferunt, & remedia præfcribunt nam nonnifi illas duas poteft pati, in alijs, quæ quia nimiùm funt violentæ, priùs interit animal, quàm poffit medicina adhiberi. Similiter & cor Patriæ noftræ libertas poteft fuftinere aliorum defectuum *Syncopes* feu deliquia, ubi verò illud tumultuofa armata Civium in agendo violentia oppreferit, priùs interibit, quàm poterit medicina propinari.

ri. Proindè hoc est principale meo sensu Venetæ Libertatis arcanum, quæ eo præcipuè plùs quàm mille annis tam ornatè ac feliciter in facie Orbis floret, quod armatæ Civium violentiæ omnem possibilem aditum ad omnia publica negotia tractanda præclusit.

DIES TERTIA.

Eruditi aliquot Amicorum de Libertate colloquij.

I. POssidet Libertas nostra uti ampla ad splendorem ornamenta, ita quoq; multiplicia ad conservationē sui præsidia, ex quibus tamen secernuntur principalia ac veluti universalia fundamenta, quibus specialiter fortuna illius & integritas innititur. Ea verò admirandô conceptu clarus olim in Republica Civis *Laurentius Ponętowski* Succamerarius Lenciciensis in suo manuscripto expressit. Delineavit is acervum manipulorum, sub quo insigne Libertatis aureum vellus depositum fuerat super Librum, cui inscriptum Lemma: *Legum custodia & Consiliorum salubritate*, loco perticarum seu sustentaculorum, quatuor erant hastæ, uni inscriptum Lemma: *Uniformi Æqualitate*. Alteri, *eligendi, sentiendi, vetandi Libertate*; Tertiæ: *Terrestrium Nobilitatis bonorum conservatione*. Quartæ: *Perpetua partium cum Corpore Regni unione*. Cuspidibusq; hastarum cunctis in aratum Lemma: *Bellica virtute*. Tegmen compositum fuerat ex quatuor cordibus, cui inscriptum Lemma: *Avitæ Religionis, & communis boni Patriæ amore*. Novem proindè ille signat veluti lapides angulares, quibus tota Libertatis moles stabiliter & tutò innititur.

Disse-

2. *Differitur de primo Libertatis Polonæ fundamento, quod est Æqualitas.*

Sicut *Inæqualitas* Noverca, ita è contrario *Æqualitas* est Mater Libertatis: Hinc haud mirùm, quod illam omnes liberæ gentes nimiùm quandoq; deperibant; Apud liberos quondam Corinthios neq; tectum supra alios elatiùs habere licuit Athenis eminentiori supra alios fortunâ imo & ipsô ingeniô ultrà Civilem modum velle excellere, horrendum Ostracismi pænam redolebat. Ast hæc Arithmetica *Democratici Statûs Libertas* fuit introducta, non ad conservationem sui, sed ad depressionem exterminiumq; Nobiliorum & Potentiorum per tyrannidem ferè popularium plebiscitorum; Ordinata autem, proportionataq; Libertati æqualitas docente Aristotele in eo consistit, *ut omnibus idem sit Jus, secundùm Leges, quæ non plùs unum gravent, quàm alterum, non plus uni commodent, quam alteri: Ita non hominem, sed Legem potiùs sinimus imperare, is autem qui præest alijs, est Legum omnium Jurisq; custos, quod si Legum & Juris, ergò æqualitatis etiam.* Ejusmodi æqualitas ut in alia quavis, ita specialiter in nostra Republica id propriè in Politico Libertatis corpore efficit, quod in homine vitalium humorum temperamentum, quod quamdiù in congrua qualitate integrum consistit, tamdiù sanitatem, vitamq; humanam in tuto conservat, cum autem unius alicujus humoris prædominium supra proportionatam & connaturalem alterius æqualitatem sese extulerit, consequens est, ut periculosi morbi invadant corpus.

3. Ejusmodi æqualitatem Aborigines nostri sedulò semper ceu firmam Libertatis suæ basim observabant, ac ita Status Reipublicæ in Jure & Jurisdictione inter se côæquarunt, ut unus supra alium solo duntaxat loco & ordines suas

 distin-

diſtingvat præcedentias; honores, dignitates & officia, id præſtant, quod non omnes æqualiter ſint eminentes: aſt is ſolummodò titulus *Nobilis*, id efficit, quod omnes pariformiter ſimus inſignes. In hoc ſolo titulo ceù in compendio omnia Reipublicæ concluduntur decora. Ex Nobili etenim Officialis Regni & Terreſtris, ex Nobili Senator, ex Nobili Prælatus, ex Nobili Epiſcopus, ex Nobili Conſilium ac defenſio Reipublicæ. Is titulus in cauſa eſt, quod Lex eodem oculo omnes reſpiciat, iiſdem auribûs cunctos audiat, eodem ore omnes alloquatur, iiſdem manibûs omnes exornet, & puniat. Citat Nobilem Senator, citat Senatorem Nobilis, uterq́, ad eundem Judicem, convincit Nobilem Senator, convincit Senatorem Nobilis proceſſu, judicat Nobilem Senator, judicat Senatorem Nobilis, unus ſupra alium nihil habet; jurat Nobilis, jurat & Senator, ambo non per ſubſtitutos, ſed in Perſonis ſuis, *in Perſonalibus* quia ambo Nobiles, *in realibus*, quia ambo hæredes; punitur, dum excedit Nobilis, punitur & Senator uterq́; æquali pænâ, ſeſſione turris, pænâ marcarum, infamiæ, & colli &c. Conſtans eſt Politicorum opinio quod Lex debeat eſſe anima cujuſlibet Reipublicæ. Proindè Sapienter Prædeceſſores noſtri ita hanc animam in politico Libertatis corpore collocarunt; ut omnes partes æqualiter animare & informare queat. Immeritò ſerviles Nationes invidendo fortunæ Libertatis noſtræ, arguunt nos, quod apud nos nec Reges ſint exleges, cum enim in noſtra Libertate Lex ſit anima Politici Reipublicæ corporis, magnum foret inconveniens ſi hæc anima alias omnes animando, & informando partes, in ipſo Capite proportionatam activitatem non haberet.

4. Ut verò hæc æpualitas integra conſervaretur, Progenitores noſtri Lege manus Regûm conſtrinxerunt, ut nec

antiquos

antiquos honores & titulos abrogare, neq; novos instituere ac conferre alicui valeant, ne ambitiosos Cives nimijs favoribus suis supra alios efferrent; Et si quando contrarium quid æqualitati attentatum fuerat, fortiter huic semper obstitit Respublica. Sub Jagiellone voluerat Elisabetha Regina filium suum Joannem Granovium creari *Comitem*, supraq; æqvalitatem cæteræ Nobilitatis anteferre, supra quod jam obtinuerat Privilegium; ast quantô zelô huic Respublica obstitit, testis locò sunt Comitia Lencicienfia, in quibus ipse Jagiello devenit ad magnum periculum. Sub Sigismundo quoq; primo similis fuit inter Status motus (inquit Bielski:) ex ea potissimùm causa, quod nonnulli Magnatum voluerant habere aliquas distinctiones titulorum supra Nobilitatē more externarū Nationū. Legi in digno fide Manuscripto, quod Radivilius cum apud Cæsarem titulum Principis sibi impetrâsset, & intentata contra illum hôc motivô coram eodem Sigismundo fuisset actio, eò tandem deductus est, ut Diploma ad pedes Regios projiceret, quo sibi Regem adeo devinxit, ut Indultum forte obtinuerit. Propter eandem æqualitatem Antecessores nostri ad Consilia ad Regum Electiones, ad honores, ad possessiones, ac ad alia quævis Munia & Officia Reipublicæ præcluserunt viam generi Ducali, quâmvis à sangvine Regio promananti, tum etiam in Patria creatis ut Vasallis Prussiæ & Curlandiæ Principibus; graves enim fuerant illi Silesiæ, Masoviæ, ac alij supra æqualitatem Juris & Jurisdictionis elevati Principes.

5. Ejusdem æqualitatis causâ vetat Lex Civibus, ne sibi exoticos titulos apud exteros Monarchas impetrent, adeo, ut ne quidem Cardinalatum, Ordinem Ecclesiasticum, Sacrum, temporaneum queat Polonus à Summo Pontifice totiûs Christianitatis Pastore acceptare sine consensu Reipublicæ. Et cum non nullis hoc munus assumere permitteretur, statim

lege cautum eſt, ne hoc titulo quiſpiam aliquam ſibi in Republica præeminentiam, ſupra Primatialem dignitatem uſurparet, utq; votum in Senatu ex Stallo Epiſcopatûs ſui ferret, retinendo memoriâ illas haud modicas controverſias, quæ inter Oleſnicium Cardinalem Epiſcopum Cracovienſem, & Arciepiſcopum Gneſnenſem ſub Caſimiro III. Rege intervenerant; Quamvis politia Eccleſiaſtica apud Chriſtianos Catholicos cum Civili pulchrè conveniat, neq; enim habet diverſum ſcopum, ſed ſubalternum; secùs Civilis cujusq; Populi Reſpublica vel Regnum, diverſum habet ab alijs finem,ſui nimirùm conſervationem & incrementa etiam cum aliorum incommodis, & ſi aliter ſibi proſpicere nequeat, etiam everſione. Cavent id ſedulâ Veneti non concedentes alios Peregrinos ſuis Patritijs titulos, exceptis Equitum auratorum, aliorumq; ſuorum Ordinum decoribus in ſignum emeritæ virtutis conceſſis, qui tituli ſolummodò ad vitalitij non tranſeunt cum hæreditate ad Succeſſores. Præſtantiſſimus fuit apud Anteceſſores noſtros titulus *Nobilis* & *Catholici*, æquè ac olim Romæ *Civis Romani* præcelluit cuncta alia exterarum gentium agnomina, fueratq; ceu Clavis ad famam ſublimioremq; fortunā, quò ipſi Orbis Monarchæ ſat grandi pretiô aſpirabant. Id ipſum fit cum noſtræ Nobilitatis præeminentia, cui Magni Domini ac Principes exteri colligari non erubeſcunt, exindè indigenatum expetunt, ac Concives noſtros ſe vocari non dishonori ducunt.

6. Aſſeres fortè Anteceſſores noſtros ab immemorabili tempore vocatos fuiſſe *Principes, Comites, Barones*: Sic enim eos antiqua nominant Privilegia, ita Hiſtoriæ, ita Statuta antiqua: cur igitur hoſpites titulos nunc habere debeamus pro exoticis? Qui in his fallitur, informetur à Caſtellano Woynicenſi & ſimul Theſaurario Regni Firlejo ex Literis in Exterjs verſanti filio ſcriptis: *Tituli tales quondam*

more

more illo veteri tribuebantur omnibus, qui cum dignitate, vel Magistratu aliquo in Republica & Aula Regis versabantur. Quorum in locum successerunt postea Nomina Palatinorum, Castellanorum, Capitaneorum, & aliorum Magistratuum, atq; Officiorum tam generalium, quam Provincialium, Senatorum enim, Magistratuum & Officialium Corpus successivè, & non una vice compactum, & denominationes Officiorum multæ novæ introductæ sunt, à quo tempore Procerum, Comitum, Baronum denominatio meritò evanuit. Scire itaq; debes ambitionem hujuscemodi exoticorum titulorum, præsertim Comitum cæptam esse eo tempore, quo noster Sigismundus primus cum Cæsare Maximiliano congressus est Viennæ, ibi cum & Principes inter se humanitate, & Liberalitate & diversæ Nationes splendore opum atq; Nobilitatis certarent: sub discessum præcipuè munera ultrò citroq; sibi, suisq; offerentes, Imperator nê opes atq; aurum erogaret, titulos hujuscemodi Nobilioribus ex Comitatu Regio obtulit. Super qua re ubi deliberatio communis à nostratibus instituta esset, conclusum fuit gratias Cæsari agendas, se Nobilitate Patriâ contentos velle vivere, abundè sibi bonorum & ornamentorum Regem suum atq; Patriam conferre, nolle quidquam novi & alieni à Legibus Patriæ & æqualitate communi inducere. Graviores itaq; Viri cum eâ sententia & constantiâ discedunt, Juniores verò ac elatiores privatim mutatâ sententiâ titulos Comitum pro se & posteris suis clàm impetrant, quibus tamen non statim, sed longo post tempore apertè gloriari cæperunt. Plures postmodùm per ambitionem varijs occasionibus præsertim Legationum impetrabant similes titulos à Principibus externis, non solum ab Imperatoribus, sed etiam à Pontificibus,

cibus, Regibusq́ Hispaniæ, Galliæ, Portugaliæ.

7. Quod ejusmodiPeregrinos titulos in Patria sua Lege prohibuerint Majores nostri, graves habuerunt rationes, haud ignari, quàm multa incommoda, damna & pericula in Rempublicam ex hoc fonte promanare queant. Benè communiter dicitur: *omnis novitas nociva*; quia ut in assvetum cibi genus ventriculum alterat, & sanitati nocet, similiter ejusmodi novitates titulorum nunquam sunt absq; alteratione & damno Reipublicæ. Darius Rex quia aliqua ornamenta Persicæ framеæ adaptanda curaverat, occasionem suis præbuit auguribus interitum Regni ipsius divinandi, quod casus illius comprobavit. Clarus ille defensor, cultorq́; Patriæ suæ Scipio per hoc devenit in odium, quòd quadrigâ coloris albi, qui mos fuit, (inquit Historicus:) externorum Regum, Romam invectus est. Exinde inter Cives quanta procella commota sit, didicit expertentiâ dum vix non exul decessit. Quid demùm foret, si titulos peregrinos præseferre Romani vellent? Dignum memoriâ & observatione Testamentum Augusti Regis, qui prospiciens, quantùm exindè promanaret Reipublicæ periculum, si superstites sorores in bona ipsius succederent, quæ fuerant in Lithvania ac Polonia â Bona Regina Matre ipsius coëmpta, cunctam eorum successionem â sororibus alienari & redimi mandavit, dignîs notatu verbis adjectîs: *Quod si nos cavemus & præcustodimus, ne posteritas nostra in Dominijs nostris sese fundando aliquas difficultates afferat, eò magis cavendum est, ne reliquæ quoq́ personæ exoticis titulîs exornatæ, & per suas dignitates plùs potentiæ in Regno & in Lithvania habentes, alicujus motûs & seditionis præbeant occasionem.*

8. Ejusmodi tituli excitare possunt inter Cives tam in bello, quàm in pace haud modicas diffidentias, omnes etenim

eorum

eorum actiones necesse est Reipublicæ esse suspectas, cum præsumantur magis illuc propendere, ubi magis ornantur; magis verò extrà ornantur, ibi enim fiunt Principes, Marchiones, Barones, Comites, &c. In Patria verò simpliciter Nobiles censentur. Exteri quoq; Monarchæ in casu belli damnare queunt ipsos perduellionis veluti sibi subjectos, & obstrictos ratione tituli, ex quo sequitur aliqua obligatio, præsertim si in Privilegio expressa sit. Seriam quoq; id exigit animadversionem, quod exteri aut ingenti sumptu, aut sangvine, vitæ periculo, gestisq; heroicis à suis Monarchis acquirant Magnificos Comitatuum, Marchionatuum, Principatuum, &c: titulos. Nostris verò Polonis ijdem Monarchæ sine impensis, sine meritis, sine discrimine, subindè pro sola visitatione, pro apportato nuptiali munere imò per tertias tantùm personas, aut per Literas, quandoq; etiam non rogantibus, nec curantibus largâ manu ejusmodi titulos prostituunt. *Utinam non lateat angvis in herba*, fortassis id intendunt, ut datâ occasione accepti beneficij memores sint, aut Patriam nostram, cujus aurea Libertas jam pridem ipsorum perstringit oculos, deducant ad ejusmodi mutationem, qualis in alijs Regnis ex eodem fonte promanavit. In Imperio ac in Italia advitalitia quondam ac temporanea publicorum Officiorum & Magistratuum agnomina nihil aliud referebant, quam Regalis sive Cæsarei brachij potestatem, æquè ac apud nos modò Palatini, Castellani, Capitanei cum Jurisdictione &c. Ast aliqui Potentiores ea omnia converterunt in privatam dignitatem, & in hæreditarium suis familijs decus, dispartientes verò per districtus inter se Nobilitatem, illam unà cum Provincijs supremo suo Dominio subjecerunt.

9. Jidem tituli seminant odia & dissidia inter Cives & Dignitarios Regni, præsertim dùm apud Exteros versantur,

siqui-

ſiquidē ibi ejuſmodi peregrinis inſignitū titulis Polonū altiori dignantur locô, quā Senatorē, aut Officialē Regni. Memorabilis eſt illa in Galliā Legatio ad Henricū,ubi primùm offerebant locū Comiti à Gorka, quàm Caſtellanis, ac Caſtrenſibus Capitaneis &c. Similiter Berolini in Nuptijs Radivilianis altior locus deſtinatus fuit Comiti à Łabiſzyn, quàm Succamerario Poſnanienſi. Idem poteſt contingere imò frequenter accidebat inter juventutem Polonam in exteris ſtudia tractantem, cum magna in poſterùm animorum exacerbatione. Hi ipſi tituli illud minantur periculum, ne temporis ſucceſſu Status in Republica convellantur, & Ordines Regni immutentur, videlicet ne emergat quartus in Republica Ordo Principum prior à Rege, ſi illi nimiùm multiplicentur. Romana antiquitas ambitionē multis alis inſtructam effingebat, habet ſiquidem multiplices modos, ceu alas, quibus ad faſtigia ſuperbiæ efferatur, citiùs tamen & faciliùs poteſt à medijs, quàm ab ultimis ad ſumma ſaltum facere.

10. Hi ipſi tituli derogant Majeſtati & dignitati Regiæ, totiuſq; Reipublicæ, ſiquidem primùm adſcribunt, & quodammodò conferunt Monarchis exteris Dominium quoddam in Polonia ſuper eas familias, quæ illos aſſumunt, deindè inſuper in bona terreſtria, quæ non modò legitimis ſangvinis ſucceſſoribus, ſed etiam ipſis acquiſitoribus hoſce titulos tribuunt, indigitantq; porrò, ac ſi Rex & Reſpublica dignis, & benemeritis nequeant proportionatos conferre honores, ac eoſdem titulos, ſi neceſſitas vel uſus expoſceret. Hæc eadem utiq; Reſpublica Archiepiſcopum effecit primum Principem, ſub tempus Interregni Vice-Regem. Eadem Reſpublica invitis licet Cæſaribus creaverat Principes Pruſſiæ, Pomeraniæ, Curlandiæ &c. Non eo inficias, quod Imperator alijq; Monarchæ habeant poteſtatem inveſtiendi varijs titulis, Polonus tamen Eques, cui Domui eſt

Reſpu-

Respublica & Rex, non debet quærere extra Patriam Cæsarem, non debet quærere aliam Rempublicam, domui suæ abundans (dummodò adsint merita:) honorum, Libertatum quantùm, imò supra quam satis, quibûs ampliores nec sol spectavit. Olorinum fermè quia extremum in Comitijs Anni 1605. Magni illius Zamoyscij fuerat votum, in quo præmisso, ac probato amplè, quomodò ejusmodi tituli tollendo æqualitatem ipsum fundamentũ Libertatis labefactent, fatetur ingenuè, quod ipsi non semel ejusmodi honores ultrò obtrudebantur & quod Legatus Hispaniæ titulum Principis ac aureum vellus offerebat. Verùm tali exoticismo magnanimè renuntiavit, quin & jocum ex Hispano fecit, allegans: *quod timeat, ne hunc aureum Arietem suus Gentilitius Caper cornibus impetat.* Eodem heroicô animo Firleji, Mińscij, Koniecpolscij, cæteriq; exoticos titulos contempserunt, Prædecessores Patresq; suos imitando, haud ignari, quod Esculapij idolum Dionisius aureâ barbâ spoliari fecit, quia supra Patrem suum Apollinem, qui erat imberbis, sese efferebat.

11. Allegari fortè potest, quod velle omnem Nobilitatem Polonam unô æqualitatis circulô circumscribere, ac prohibere familijs, ne possint aspirare & ascendere ad altiora Nobilitatis fastigia, nihil aliud sit, quam invidere fortunæ, virtuti & dignitati earum; necnon spoliare Patriam tot ornamentis,quibus ex hac diversitate graduum ad exemplum aliarum cultarum Gentium splendesceret; ne verò hi altioris Nobilitatis Cives titulorum dignitate supra æqualitatem elati insolescere, aut in præjudicium communis Libertatis aliquid moliri possint, permaneant sub eadem Lege jurisdictioneq; æqualiter cum cætera Nobilitate, proùt est in alijs Regnis; Inveniuntur utiq; & in Polonia non pauci, qui Comites, Marchiones, Principes Imperij postpositis Legibûs

 & Con-

& Constitutionibus nuncupantur. Satiùs igitur cunctis id permittendū, quàm absq; effectu inhibendo, Leges, inq; illis Rēpublicā contemptui exponere. Sunt itidem Principes Lithvaniæ & Russiæ, quorū titularē supra reliquā Nobilitatem eminentiā, continet in Officio æqualitas Juris, & Jurisdictionis.

Ad hæc respondeo: Capere nequeo ullatenùs, neç video, quâ ratione hi peregrini tituli fiant ornamentum Nobilitatis, & Reipublicæ. Velle enim Nobilitatem suam alienâ ampliare, velle inclytissimam ex omni parte Rempublicam ac si propriorum decorum egenam, apud exteros Monarchas fortunam ac ornamenta emendicare, velle Statum Patrium à pijs & prudentibus Majoribus institutum immutare vel augere, velle libertatem Militarem manifesto subijcere periculo; Non ornamentum id est, sed potiùs dedecus, æternâ labe, & irreparabile damnum tam Statûs Nobilitaris, quàm totiûs Reipublicæ. Quæ omnia quod ex his titulis supra æqualitatem Nobilitatis elatis in Rempublicam redundarent, suprà deductum est.

12. Antecessores Nostri nobis relinquerunt unum Nobilitatis Ordinem, quem (ut prædictus Firley in suis annotavit Literis:) *Juris ac Libertatis communio æquat; Personarum verò vel familiarum æstimationem distingvunt munia imprimis, & dignitates Reipublicæ præsentes vel olim gestæ in familia, tùm virtutis & meritorum decora, sæpè etiam præsens fortunarum & antiquitatis familiæ splendor, ætatis etiam atq; eruditionis ratio: his ferè solis præcedentijs, alioquin generis & Nobilitatis titulo pares distingvimur.* Antiqui Poloni longè nobis celebriores optimè noverant quid adferat Nobilitati decus, & perspectum habuerunt, quid sit Reipublicæ ornamento, nunquam tamen voluerunt Nobilitatem suam ejusmodi Peregrinis centonibus subsuere. Noluerunt suam Rempu-

blicam

blicam exoticô induere habitu, nec invidebant alijs gentibus tales titulorum distinctiones, timentes, ne idem ipsis accideret, quod causavit equo aurô & argentô adornatum frænum, cujus (ut narrant fabulæ:) splendore seductûs, quia sibi imponi illud semel permisit, in se, ac omnes alios sonipedes servitutem derivavit.

13. Similitudo à Russiæ Lithvaniæq́, Principibus desumpta nequit extendi ad eos, de quibus sermo est, titulatos ideô imprimis, quia paucæ sunt ejusmodi Ducales familiæ, quibus id concessit Respublica circa Unionem cum Lithvania, ac quamvìs apud eos sit hæreditarium decus, attamen in sangvine duntaxat, non in bonis terrestribus fundatum; Proindè sicut ipsæ familiæ, ita earum tituli æternê durare nequeunt, ac tandem extingventur. Puto enim in præsens vix posse quinq́; ejusmodi Ducalium familiarum numerum conficere. Et quia hi tituli non fuerant aliundè assumpti, verùm cum sangvine transfusi, justum erat, ut id ipsis in memoriam Ducalis Originis concederetur, deniq́; ita illæ per omnia ad æqualitatem cum cætera Nobilitate adstrictæ sunt, ut nec diversum Ordinem à Nobilitari constituant in Republica, nec prælationem ullam, imò nec Stallum altius in consessibus ratione Ducalium titulorum obtineant, verùm Dignitarijs & Officialibus à Rege Privilegiatis jubente lege cedere teneantur. Nequit ergo ex concessis hisce titulis dictis Principibus aut dedecus, aut aliquod periculum in Libertatem sivè Rempublicam redundare, prout ex aliundè adscititijs, qui & separatum altiorem gradum supra æqualitatem Nobilitatis affectant, & ab exteris Principibus collati multiplicari sine fine non modò cum sangvine, verùm etiam cum terrestribus bonis, ad Successores aut acquisitores devolvi, eôq́; ipso æternare possunt. Perconsequens si similes titulati multiplicarentur nollent pro-

certò cum hifce crepundijs innanes folummodò Nominũ umbras geftare, fed procùl dubio fatagerent ad titulos, rerũ per Nomina fignificatarũ vitulos quoq; adijcere. Juris communis & Legũ Patriarũ vinculũ, non poteft affe tam validũ, ut multos & potentes in Officio contineat, difficulter enim Gigantes funiculô vincuntur. Experimur, quàm multùm in aliquibus Palatinatibus paucorum potentia aut præeminentia titulorum fimilium exorbitet, quàm libera vox Nobilitatis fæpiùs præfocetur, ut potiùs Placentiam, quam Veronam, aut Libertinam deflectere cogatur.

14. Audivi hac de re plures fermones dignorum hominum, qui Anteceſſoribus Noftris vitio vertebant, quod Lithvanis quamvis Patritios titulos uti Marefchalcorum, Cancellariorum, Thefaurariorum, & id genus conceſſerint fine neceſſitate ad folum fplendorem & ornamentum gentis. Ifti fiquidem tituli ac munia exhibent aliquomodò diverfam Reipublicæ fpeciem ac tandem aliquando Lithvani poſſunt tentare, ut non in Polonia tantùm, verùm etiam in Lithvania fub eorum directione celebrentur Comitia; (*) Alij quoq; Officiales fimilia fibi arrogare audebunt tamdiù, donec tandem feperatìm Regem fibi diftinctum creent. Animadverterunt quidem hoc Poloni, aft *ferò fapuerunt Phriges*, dum fub Cafimiro III. Rege in Comitijs Lublinenfibus Anno 1448. id à Lithvanis obtinere conabantur, ut uterq; Populus quemadmodùm fub uno Rege, ita fub uno Regni Poloniæ Nomine æquali jure viveret, extinctis Magni Ducatûs, feorfivorumq; Magiftratuum titulîs; De his quoq; fpecialiter conceſſis Lithvaniæ Officijs differentem audivi olim Sapientem Senatorem Stanislaum Kobierzycki Palatinum Pomeraniæ, qui veritatem Jovialibûs involvendo affirmabat, quod ubi Maritus & Uxor diftinctum famulitium, diftinctos proventus, diftinctas expenfas

(*) *Expletum eft Augurium Grodnæ 1628.*

expenſas, diverſumq; regimen habent, jam ibi ſincera amicitia & debita concordia aut nulla erit, aut non diù durabilis. Pariter & hæc ſeorſiva Lithvaniæ Officia, ac titulorũ multæ authoritatis ſpecialitas obicem ponunt efficaci iſtorum Dominiorũ unioni & mutuæ concordiæ, præbentq; anſam exacerbationis animorum noxiæ aliquandò bono *Reipublicæ*. Quodſi domeſticorum titulorũ non neceſſaria multiplicatio communi Patriæ periculoſa, quid cenſendum de Peregrinis? hi quia æqualitatem tollunt, aut illam ſenſim peſſundare poſſunt, ideò ipſum fundamentum Libertatis ſubruunt.

15. *Differitur de ſecundo Principali Polonæ Libertatis fundamento, quod eſt Liberæ Electionis, & Juris intercedendi inviolata conſervatio.*

Quam multum in Electione Regis interſit Libertati; illi duntaxat ignotum, qui nec naturam, nec fortunam ejuſdem Libertatis deguſtavit. Perdere Liberam Electionem eſt principale columen Libertatis proſternere, jam hoc in caſu non Reges populis, ſed populi Regibus, non Rectores Civibus, ſed Domini ſervis dabantur. Electio eſt veluti *Genethliacum Aſtrum* quoddam Libertatis, in quam prout illa eſt benè, vel malè affecta, bonæ vel malæ influunt qualitates. Electio *eſt dives Aurifodina*, ex qua felicitatis venæ in Leges & Privilegia noſtra emanarunt. Eſt lucrativus abundè Libertatis *Mercatus*, in quo cuncta, quibus modò illa indiget, apud prehenſantes Candidatorum ambitus obtinemus. Eſt opulenta multùm *Pronuba*, quæ nobis inæſtimabilia à procantibus Libertatem noſtram Principibus confert ornamentorum donaria: Eſt *turris gemmea*, in qua Lechica Colchos integritatem perennitatemq; aurei Libertatis ſuæ Velleris principaliter collocat. Quantâ proinde circumſpectione, quantâ vigilantiâ circa conſervationem ipſius opus

 ſit,

fit, Sapienti & Libertatem amanti satis liquet; Ego reor quòd ut in participatione Allegoriæ, ita in communione periculi quælibet Libertas subjaceat forti aurei Velleris, Habuit equidem illud diligentem sui curam & custodiam, verùm quia solummodò contra internam & non externam vim, avaritiam,ambitionemq; munita fuerat, facilè in rapipinam audaci & fraudulento Jasoni cessit, ad edocendas Liberas Gentes: *nisi sylvâ humani generis excisâ non defuturos Libertatis raptores Lupos*, cunctis quidem illius decoribus, principaliter tamen Electioni inhiantes, cujus discrimine veluti guttur Libertati comprimunt.

16. Tumultus & vis armata in Electionibus quàm sint Libertati perniciosa, libera quondam Roma nos præmoneat. Quamdiù illic ambitio loculis instructa suffragia licitabatur, interturbabat quidem, & confundebat sicut alia publica negotia, ita Electiones Romanas, sed postquàm alterâ manu gladium arripuit, idest in Rempublicam militarem induxit Statum, tunc is Candidatorum qui fortior erat, dignior evadebat. Protunc non suffragia non vox libera eligentium, sed furor casus, errorquê, ad extremum ipsa quoq; ludibria militariâ Dominos Reipublicæ constituebant. Ut cætera transeam, quæ vel furore populari, aut ludibrio, aut sangvine fœdârunt Purpuram, aliqua tantùm ex Lipsio commemorabo: Talis fuit Electio Claudij Cæsaris, *qui Caligulâ occisô, rumore cædis exterritus, & sui quoq; anxius, prorepsit ad solatium, & inter januæ prætenta vela delituit. Miles aliquis è Prætorio discurrens ad prædam, hunc reperit, & protrahit, productum ad alios Prætorianos fluctuantes adhuc, nec aliud, quàm frementes, Principem salutat, quem ut cælitùs oblatum arripuerunt, Senatus dissentiebat, & Libertatis præferebat inane nomen. Sed vicit militaris Electio & fatale Romanis servire.*

vire. Similis fuit Electio Probi; *Tacito enim Imperatore absumpto dum Electio pendet, Exercitus Orientalis eam occupare & sui beneficij Principem habere voluerunt, conveniunt ad eligendum: Et dum Tribuni quasi per decorum, eos monent, fortem, Clementem, probum Imperatorem eligendum esse, arripiunt illi vocem; & statim acclamant: Probe Auguste Dij te servent; Inde Purpura, Tribunal, & legitimus Princeps.* Non dispar fuit electio Regilliani, erat ille Dux in Illirico malè in Gallicanum Imperatorem armatorum, fortè unà plures comessabantur, fuitq; Valerianus Tribunus, qui in joco & vinô diceret: *Regilliani* nomen unde credimus ductum? subjicit statim alius: *à Regno*: & milites communiter: *ergo potest Rex esse*, & occasione solâ temerarij dicti fecerunt. Ejusmodi etiam fuit Electio *Proculi* in Gallia; Milites ad latrunculos ludebant convivantes, fortè decies Imperator Proculus exivit, atq; inquit quispiam ludens: *Ave Auguste*, allataq; lanâ purpureâ humeros ejus velavit; timor mox eorum, qui adfuerant! & ne accusarentur apud veterem Imperatorem, novum hunc consensu faciunt. Plures alias hujusmodi Electiones quivis in Historijs reperire poterit, ac discere tunc liberas gentes sub hastam servitutis abijsse, tunc Regna in vilissima & pessima præsentissimô exitiô capita impegisse, quando vis, confusio & favor armatus pro Cadidatis suffragia colligebat.

17. Placuit mihi cujusdam in Patria Magnatis consideratio, quod in Polonia regnante Reginâ Rixâ totum equidem tempus, ast maximè novi Principis Electio turpissima fuerat. Quasi nos hoc arcanum fati jam protunc admonebat, ut in omnibus publicis Reipublicæ negotijs, præcipuè verô in Electionibus nostris ad periculum discordiæ cum timore respiciamus, eoq; diligentiùs, quia nullum certum

modum,

modum, nullum ſtabilem firmumq; Ordinem in hiſce noſtris Electionibus habeamus; Undè latiſſima aperitur via armatæ, qualis in Electionibus ſolet eſſe, multitudini ad inconſultam, vim, & tumultuoſam inter armorum ſuffragia violentiam. Talis verô Electio rectè appellari poterit præparatum jam ad ſepeliendam Libertatem feretrum. Omiſſis alijs plurimîs antiquioribus & remotis, recentiora, eaq; vicina Bohemorum & Hungarorum præ oculis verſantur exempla; Hi quod primum per tumultuoſas & violentas Electiones aditum ſervituti præbuerunt, ipſorummet clarè atteſtantur Hiſtorici.

18. Haud diffitemur equidem nos in tanta agendi ac ſentiendi Libertate abſq; diſſenſionibus ceu agnato Libertati malo ſubſiſtere non poſſe; præcipuè circa Electiones, in quibus Libertas noſtra ceu Virgo elocanda inter tot procantium Candidatorum ſtudia hæret dubia. Unus ferè Vladiſlaus IV. Turcarum victor uti nemine concurrente, ita quoq; nemine contradicente in Regem fuit electus, idq; magìs arcano Superûm conſilio quam ordinario naturæ curſu contigit, quod primam natalem lucem aſpexerit die Feſtô Sanctorum *Primi & Feliciani*, quorum veneranda Lipſana ab Urbano VIII. Romæ præſens obtinuit. Omen id ſatiùs Natalitium & Pontificium fuerat, illum *futurum* ex Regibus primum, qui ſine æmulo *feliciſſimus* concordi omnium ſuffragio Regimen ſuum apud nos auſpicaturus eſſet. Nihilominùs quamvis diſcordia ſit veluti domeſticum Libertatis noſtræ fatum, certò tamen certiùs eſt, quod non aliundè præſentiùs exitium imminere nobis poterit, quàm à diſcrepantibus electionibus, dum præcipuè inter diffidentias Ordinum Reiqublicæ violentia & armatus furor popularis ſuffragia Candidatorum moderabitur. Noſtra Polona Interregna ſignanter tunc, quando deficiente Regiô Sangvine

non

non afsumitur, fed quæritur Princeps, funt ceu Nodus Gordius, qui Libertatem noftram tot difficultatibus & periculis implicat, fi illum igitur non dexterâ & molli manu, fi non unitis animis & Confilijs extricabimus, fed uti inconfulti. Alexandri quidã violẽto conatu, & turbulẽto tumultu difcindem9, infallibiliter quoq; ipfa Libertas lethale vuln9 haud effugiet. Anteceffores noftri non tantùm ab actu & fuffragio, fed infuper à loco Electionis Lege excluferũt Ducale gen9, excluferunt Wafallos, excluferunt ipfos Candidatos; Crucigerorum Magiftros Pruffiæ, quàmvis ad Senatum admififfent, Locumq; ac vocem in Confilio permififfent, ab Electionibus tamen Regijs propter metum armatæ potentiæ amoverunt. Dediffent Superi! ut etiam hæc *aurea Libertatis Porta* inprimis ftabili quãdam & rigidiori ordinatione, ceu fortibus peffulis obfirmata, deindè contra factiofum ambitum, necnon tumultuofos (quod circa Electiones noftras facilè evenit) & violentos conatus meliùs præmunita fuiffet. In comperto etenim eft quod hanc auream Libertatis Januam aut oculti ambitus, factionumq; cuniculi fubruent, aut etiam armata potentia effringet.

19. Quod vox libera & Jus vetandi fit præcipuum Libertatis noftræ fundamentum, ipfi teftantur inimici tàm gentis noftræ, quâm & Libertatis. Quia quàm primùm illis contigerit aliquantulùm nobis prævalere, mox ademptionem vocis vetandi, videlicèt noftri Polonici *Nie pozwalam* comminari folent. Exindè patet in eo maximum Reipublicæ noftræ confiftere præfidium, quandoquidem illud non priùs corruere poterit, nifi tunc, dum noftrum *Nie pozwalam* fuffocabitur. Sed de hoc Jure vetandi, & voce libera fufiùs alibi

20.

20. *Differitur de tertio Principali Polonæ Libertatis fundamento, quod est Terrestrium Nobilitatis bonorum conservatio.*

Quantum Libertati Polonæ interſit conſervari bona & decora Ordinis Equeſtris, demonſtrarunt Majores noſtri, qui in antiquis Statutis & Legibus de illo affirmant, quod ſit *armata Regni militia, in qua honor Regis & defenſio Reipublicæ conſiſtit*, quod ſit *potiſſima hujus Regni portio, robur, firmamentum ac ſeminarium quoddam Reipublicæ. Ex illo* (dicit Orzechovius in manuſcripto) *Senator, ex illo Officiales Regni & Terreſtres, ex illo Prælatus, ex illo Reipublicæ Conſilium, ex illo defenſio & ornamentum*; hac ducti ratione aborigines noſtri ſatagentes robur iſtud & firmamentum Reipublicæ in integro conſervare, tàm multîs fortibusq; caverunt Legibûs, ne quisquam ortus ex Ducali genere, multò magis extraneus, ſivè alienigena, aut Plebejus bona terreſtria coëmere, aut poſſidere queat. Eodem intuitu ſanxerunt, ut tam civilia, quàm Eccleſiaſtica beneficia honorifica, & pingviora non-niſi ſolis Nobilibus conferantur. Imò ſimilis Lex ipſis etiam Regibus conſtrinxit manus, ut nec Jure emptitiô, nec aliter acquiſitô, nec ullô quôvis modô bona terreſtria Nobilitatis diminuere valeant. Quod ſi aliquandò quocunq; titulô ad eorum diſpoſitionem illa devenirent, alijs Nobilibus eadem conferre teneantur. Sic quoq; ipſi Liberalitati Catholicæ erga Deum & Eccleſias annuente ſummô Pontifice Majores noſtri modum poſuerunt, ne Status Nobilitaris, cujus integritati etiam Sanctæ Eccleſiæ innititur ſecuritas, enervetur, & corruat.

21. Callidus ille ſeductor Callimachus Alberto Regi noſtro inter alios hunc quoq; in oppreſſionem Equeſtris

Li-

Libertatis indigitavit modum: *quatenùs eò inflecteret Nobilitatem, ut fundos possessionesq; suas Regi consignarent, ipsi verò acceptô certô pecuniariô stipendiô in Civitatibus residentes expeditiores ad bellum essent.* Efficacissimus ipsi is videbatur modus, quô posset hanc præcipuam Corporis Reipublicæ partem infirmare. Opes namq; & possessiones Juris periti vocant *alterum sangvinem humanum*: Et uti deficiente sangvine totum corporis robur & sanitatis integritas vacillat, ita si hæc præcipua Corporis Reipublicæ pars, Status nempè Nobilitaris opes suas cum bonis terrestribus ceu requisitum Sanguinem amitteret, certè & ipsum Reipublicæ Corpꝰ languere, & deficere deberet. Poloniæ nostræ Regum opulentiam ac divitias non tàm in reditibus ac thesauris, quàm in Viris bellicosis, in amore, fidelitate & fortitudine Nobilitatis Antecessores nostri consistere arbitrabantur, ut sicut Majestas Regia ab alijs vulgaribus dignitatibus est distincta, ita quoq; proventus ab alijs communibus reditibus diversi sint. Ex eo capite Reges nostri omnes Christianos Monarchas superabant, & illis potentiores ac ditiores erant, quod Regna sua contra quorumvis hostium impetum proprijs Civibûs tueri poterant. Quaré justè noster Skarbek derisui habuit thesauros, quos ipsi Henricus Imperator ad subjugandam Poloniam ostentabat, utpotè haud ignarus citiùs posse deficere ditissimis quibusvis Monarchis aurum, quàm Regi Poloniæ numerosas vires, ac Nobiles Heròès, qui dum est opus, periculo vitam exponendo proprîjs stipendîjs, bellicos subeunt labores. Ideq; in Polonia Terrestria Nobilium bona primitùs (ut Leges loqvuntur) de Jure militari ad defensionem Reipublicæ destinata erant cum hac cautione, ut Spirituales etiam, qui in bona terrestria succedunt, seu illam suis còëmunt consanguineis, ad bellicam expe-

ditionem cum alia junctim Nobilitate quàmvis non in proprijs personis teneantur. Ne proindé hi inexhausti Regis Regniq; thesauri imminuantur, neq; hæc armata militia, in qua honor Regis, & salus Reipublicæ consistit, tam in apparatu, quàm in numero servitij bellici sensim in deteriùs eat, ac per consequens ne Libertas periclitetur, curandum est, ne Otdo Equestris per diminutionem suorum terrestrium bonorum collabatur.

22. Veneti quàmvis diversas longè Ltbertatis suæ rationes, & conservationem habeant, huic tamen seduló invigilant, ne Status Nobilitatis per depauperationem elanguescat; unde inter multas ditandæ Nobilitatis rationes id quoq; Lege provisum est, *ut Galerius, seu Triremis cujusq; Navarchus octo pauperum Nobilium filios ad quamcunq; partem proficiscatur cum septuaginta Aureorum Nummorum stipendio secum ducat, illisq; victui necessaria, qualia Nobiles habere debent, impertiatur; Simul ut aromatum libras quatuor mille sine navali solutione & gravitate singulis importare permittat.* Similia compendia sublevandæ & conservandæ fortunæ Nobilitatis adhibebant antiquiores liberæ Respublicæ, in comperto habentes, quod Nobiles possessionati sint fideliores amantioresq; Patriæ, & acriores ad resistendum hostibus. Nam & minima avicula tamdiu nidulum suum mordicùs tuetur, quamdiu est in ipsius possessione. E contra impossessionati quia Rempublicam potiùs pro hospitio, quàm pro Patria habent, de ipsius integritate parùm sunt solliciti. Aristoteles affirmat, *quod ejusmodi homines Rempublicam reputant pro stabulo, tamdiu illam non deserunt, quamdiù commodiùs pascuntur;* Tales porro seditionibus & tumultibus facilè adhærent, illosq;, ut in turbido piscari queant, fomentant, quia est *deforme malum ac sceleri*

con-

confinis egeſtas. Apud Romanos his, qui poſſeſſiones ſuas dilapidare incipiebant, addebantur Curatores proſpicientes, ne illi poſtquàm ad egeſtatem devenerint, diſpendiô publicô propria conquirant compendia, imô à poſſeſſionatis juxta proportionem graduum in Republica ijdem Romani variam requirebant cenſuum qualitatem: communiter enim tantum ex publîcis ſentimus, quantûm ex ijs ad privatas res noſtras pertinet. Athenienſes tam diligenter id obſervabant, ut ſi quis proportionatam ſibi poſſeſſionem non haberet, illi Civem Athenienſem, id eſt liberum Nobilem vocari nefas fuit.

23. Poſſeſſio Nobilitaris apud nos in Polonia *ipſius quoq; Nobilitatis eſt fundamentum,* quia deductionem Nobilitatis Lex præcipit facere ex diſpoſitionibus Bonorum. Eadem poſſeſſio eſt *omnium Reipublicæ dignitatum & Officiorum principale fulcrum,* quia eadem Lex poſſeſſionatis tantùm mandat illa conferre. Eadem poſſeſſio eſt *quoddam vadimonium & fidejuſſio apud Rempublicam pro Dignitarijs & Officialibus,* quod muneribus ſuis ſatisfacturi ſint. Citati namq; in caſu non ſatisfactionis, defectus & negligentias ſuas poſſeſſionibus compenſant. Eadem poſſeſſio eſt *bonæ fidei conciliatrix,* quia in pluribus caſibus neq; vadimonium, neq; teſtimonium valet coram Judicio, niſi poſſeſſionatorum. Eadem poſſeſſio eſt *honeſtatis Nobilitaris conſervatrix* vindicando Nobilem à multis probroſis nominibus & gravaminibus: Leges etenim impoſſeſſionatos tàm in perſonis, quàm in Mobilibus areſtare, ac incarcerare permittunt, ubivis Locorum cauſam dicere, pœnaſq; luere cogunt, vocantq; illos *Lixas, Calones, Vagos,* fidem ipſis in jure denegant, verùm vadem pro ſe ſtatuere mandant. Eſt igitur Nobilitaris poſſeſſio ut ipſius Nobilitatis maximum fundamentum, ita æquè Liber-

tatis

tatis principale firmamentum. Ea de causa constitutio quoq; Anni 1613. computat illam inter principaliores Status Nobilitaris Libertates.

24. *Differitur de quarto Poloniæ Libertatis fundamento, quod est Terrarum, Ducatuum, cæterarumq; Regni partium cum suo corpore perpetua Unio.*

Diversæ apud nos distinctiones & Ordines Principum extiterant, ac etiamnum reperiuntur. Primus Ducalis Ordo est: *Regiorum filiorum*, qui habent derivatam à Majestate Paterna participationem reverentiæ, commansionis, & protectionis in Regno. Secundum Ducalem Ordinem fecerat in Polonia ampla illa *Genesis Boleslai dicti Krzywousty*, unde malô publicô multarum Regni partitionum origo in Duces Silesiæ, Masoviæ, Majoris Poloniæ, Minoris Poloniæ, Cujaviæ &c. Hi Provincijs Regni inter se divisis, eas possidebant cum absoluta potestate, nec in bonis, nec in personis suis Jurisdictionem Regni recognoscentes, Majestatem tantummodò, quæ penes Reges, aut Duces Cracoviæ erat, comitèr conservare obligabantur. Ex his Principibus alios fatalis necessitas, alios successus temporis cum deficiente sangvine bonô publicô sustulit ex Polonia; Alij jugo Vicinorum Principum cum suis Provincijs sese submiserunt. Tertius Ordo fuerat, ac etiam nunc est in Polonia *Principum Feudatariorum*, prout quondam exstiterant Valachiæ, Russiæ, Pomeraniæ; de præsenti verô Prussiæ & Curlandiæ, qui & Majestatem Regis Poloniæ juramentô & homagiô præstito comiter observare, & obsequia quædam ex pacto Reipublicæ præstare obligantur; Deficiente verô masculâ prole eorum Dominia, quæ Feudi titulô possident, ad Rempublicam redire debent. Quartus Ducalis Ordo fuit, ac etiam nunc reperitur in Polonia eo-

rum

rum *qui originem ex Magnis Ducibus Lithvaniæ aut antiquis Ducibus Russiæ trahunt*, & circa unionem Lithvaniæ & adjunctionem Terræ Volhynensis ad Rempublicam in unum Corpus acceptati sunt, qui siquidem sunt cum Statu Nobilitari, Ordine, Jurisdictione, pænis coæquati, exindè non faciunt supra Equites altiorem Ordinem, ac absq; læsione Legum de genere Ducali participant, deq; omnibus prærogativis Nobilitatis.

Primi verò Ducum Ordines, quia propter excellentiam Statûs nec Ordini Nobilitari commisceri, nec communibus Legibus subijci possunt; ea de causa antiquâ consuetudine & Legibus exclusi sunt ab Electivis & consultivis suffragijs, exclusi sunt ab officijs & dignitatibus Reipublicæ, exclusi à possessionibus tàm perpetuis, quàm cum vitalitijs propter metum potentiæ, ex qua magna contra Libertatem redundarent pericula.

25. Abnuebant Majores Nostri supra æqualitatem Nobilitatis per prælationem altioris Ordinis habere eminentiores Principes, qui Libertatum & bonorum Reipublicæ participes fierent. Ad quod licèt serò respexerunt, tandem tamen sub ferula eorum edocti sunt, quod *parùm tuta est Libertas, quam præpotens tractat potestas*. Ex hoc Ducalis præeminentiæ fonte promanabat in Rempublicam grande malum dismembrationum, quàmvis illam nocivam partitionem Regni, quam secundarium duodecim Palatinorum regimen, & si ex libera electione, & sine ullo hæreditatis titulo causavit, tacitus præteribo; magis noxiæ illæ fuerant dismembrationes, quas Duces & Reges Poloniæ titulô hæreditariæ dispositionis in Regno fecerant. Primam (quantum ex historijs constare potest) fecit Lescus *III*. qui inter viginti filios amplas maritimas Provincias partitus est, quas illi demùm à Corpore communis Reipublicæ avellerunt.

runt. Eodē hæreditariæ diſpoſitionis titulô Vladiſlaꝰ I. inter Boleſlaū & Zbignieviū filios Poloniā diviſit, ex quo quanta mala & motus exorti fuerint, conſulatur hiſtoria. Maximè exitialis exſtitit diſmembratio Boleſlai Krzywouſty vocati, qui ſimiliter in Ducatus, Cracovienſem, Sandomirienſem, Poſnanienſem, Maſovienſem, Lublinenſem, Poloniam inter filios diſtribuit. Hi verò multiplicati alij ut Sileſiæ ad finitimos Principes ſponte, alij coácti defecerunt, alij inter parricidales cædes, & mutuas hoſtilitates per ducentos annos ingentibûs malis Rempublicam vexarunt. Tandem ſub Caſimiro Magno licèt non ex integro, diſtractæ partes iterùm in unum Corpus jungi cæperant; verùm is quoq; eodem arbitrariæ de bonis Regni diſpoſitionis titulo effecerat magnam in Republica diſmembrationem per teſtamentariam ordinationem, cùm Terram Dobrzynenſem, Bitgoſtiam, Kruſwicam, Klotoviam, alioſq; Diſtrictus legaverit Nepoti ſuo Caſimiro Stetinenſi Principi, verùm hoc malum fata ejuſdem Principis averterunt. Simili authoritate idem Caſimirus Magnus reclamante potiori parte Senatûs Ceſſionem fecit Crucigeris Terræ Pomeraniæ, Culmenſis, Mariæburgenſis, Michalovienſis, quin etiam ex Sigillo Regni Ducatûs Pomeraniæ titulum eradere mandaverat. Poſt Caſimirum Regem Ludovicus Vladiſlao Duci Opolienſi ſibi ſangvine juncto donaverat Terram Vielunienſem, Holſtynenſem, Krepiſcenſem. Pariter Jagello adjunxerat Lithvaniæ Ducatum Kijovienſem; filius verò ejus Caſimirus III. pro Lithvania detraxit à Regno Volhyniam, Podlachiam, quæ omnia reſtituendo Auguſtus I. ac Regno iterùm reuniendo, in Diplomate dato ſub tempus Comitiorum Lublinenſium Annô 1569. fatetur, *quod fuerant per injuriam à Regno avulſa.*

26. Non ſolùm verò irrevocabiles Juris hæreditarij

dona-

donationes, ſed & temporales Regum arbitrio de bonis Reipublicæ diſpoſitiones magnum Regno damnum attulerant. Evidenti ſunt documento Terræ Podoliæ, quas Jagello conceſſerat ad temporalem proviſionem fratri ſuo Swidrigelloni, & expoſt Vitoldo, unde quantæ commotiones, contentionesq; inter Lithvaniam & Poloniam exortæ fuerint potiſſimùm ſub Caſimiro III. teſtatur hiſtoria. Ejuſmodi aliisq; noxiis diſmembrationibus obſiſtebat ac medebatur, quantùm potuit Reſpublica.

27. Primum harum fuit remedium *unius ad Principatum ſive Regnum electio*, quo diſtractæ partes tanquàm membra quædam reſtituerentur ſuo corpori, ita binis ſecerat vicibus poſt diſmembrationem duodecim Palatinorum. Similiter quoq; egit poſt illas diſtractiones Regni in filios Boleſlai Krzywouſty ad unum Premiſlaum, qui in plures diſmembratas partes ſucceſſerat, coronam transferendo: ſub cujus ut ut brevi aliquot Menſium regimine atteſtante Cromerô: *Polonia tot Imperiis diſcerpta in unum Corpus rurſus coaleſcere, dignitatemq; ſuam & amplitudinem priſtinam recuperare cœpit.* Iiſdem diſmembrationibus obviando Anteceſſores noſtri, in caſum Interregni conſtituerunt Primatem inter Regem, ut tunc quoq; penes unum Vicaria Regis poteſtas & moderatio Corporis Reipublicæ permaneret: quia verò Spiritualem deſignârunt Perſonam, profundum in hoc Politicum arcanum complexi ſunt, ne videlicet in illum affectati Regni ſuſpicio cadere poſſet.

28. Alterum contra diſmembrationes adhibuit Reſpublica remedium, *conſtitutionem Unionis inter ipſa membra Reipublicæ*, quæ Unio cùm pro fundamento habeat unitatem, unitas verò naturaliter non poſſit dividi in plura, ita quoq; unitum Regnum ne diſmembrari queat, adinvenit Res publica talem unionem, quæ ſingulis Ordinibus ac membris

suis æquam & honestam ad regulam æqualitatis emetiretur proportionem, ne Reipublicæ membra absq; hac proportionata unione sibi absimilia, constituerent Corpus monstrorum, inducendo dissimilitudinem & imparitatem, ac per consequens tollendo unionem, quæ est *vinculum Charitatis, Mater societatis, mensura & regula politicæ in Corpore Reipublicæ proportionis*. Curæ igitur semper fuit Reipublicæ, ut Ducatus, Provincias, at quasvis earum pertinentias in unam compagem eâ proportione compingeret, qualis est instructura humani Corporis, in quo tam principaliora, quàm etiam inferiora membra æquè sunt Corpus, & tam hæc, quàm illa de illius qualitatibus participant. Persimili modô Status Reipublicæ minùs eminentes cum eminentioribus æquali generis, Juris & Libertatis communione ita sunt coæquati, ut unus supra alium nihil planè habeat, soloq; duntaxat locô, qui cum dignitate aut Officio Reipublicæ obvenit, suas sortiatur præcedentias. Ita Casimirus Magnus *subactam Russiam in formam Provinciæ redegit, Officia & Magistratus Polonorum more instituit, & cum Polonis eodem Jure Libertateq; vivere jussit*. Sic Jagello Lithvaniæ Ducatum simili Unionis vinculô cum Regno connectere cæpit, Sigismundo, Augustus feliciter perfecit. Ita Ducatus Masoviæ & Prussiæ necnon reliquæ Terræ in unum Reipublicæ Corpus coàluere.

29. Tertio ad avertendas pares dismembrationes remedio usa est Respublica, retentione nimirùm *in fide Regni earum partium, quæ absolutè uniri non poterant*. Maluit enim Provincias in Societate quàmvis sine possessione, cum reservatione tamen Juris retinere, quàm penitùs amittere, ac totaliter avelli permittere. Ita olim egerat cum Ducibus Russiæ, Masoviæ, Pomeraniæ, Volhyniæ, & nunc agit cum Prussiæ, Curlandiæ.

30.

30. Quartum contra difmembrationes remedium fuit *abrogatio hæreditariarum, quas fibi Reges Poloniæ appropriabant, difpofitionum*; hæ enim femper extiterant etiam in unitiffimo Regno perennis fons difmembrationum. Id clarè liquet ex Boleflai Krzywoufty inter filios, alijfq; fimilibus divifionibus. Lithvania ipfa plùs quàm per centum octoginta Annos obftante hôc Jagellonicæ hæreditatis obice connecti cùm *Regno* quàmvis abutrinq; fummis laboratum fuit conatibûs, non potuit, neq; unquàm ad id deventum fuiffet, nifi Sigifmundus Auguftus Juri fuo hæreditario in Ducatum Lithvaniæ renuntiaffet. Quoufq; enim arbitraria & liberalior de Bonis Reipublicæ difpofitio in manibus Regijs confiftebat, propenfio præprimis innata, amorq; erga Sangvinem proprium, cor animumq; Regium ad eum inclinabat, deindè inconfulta propter refpectus privati fui intereffe Liberalitas, abftrahebat ipfos ab jufto & ordinato regimine Regni, ut plus fibi, & fuis, quàm Reipublicæ confulerent, fruftatim unitum Regnum difcerpendo ac dividendo. Enixís proindè fupplicationibus Refpublica à Dominis fuis id obtinuit, quod fibi Lege fponte manus conftrinxerint, ne quidquam de rebus Reipublicæ arbitrariâ difpofitione ftatuere poffint, evicitq; infuper ab illis, ut Ducale etiam fui Sangvinis genus, tanquàm ob præeminentiam fui Statûs Juri communi & Jurifdictioni non fubjectum, necnon homines exteri à poffeffionibus, beneficijs, dignitatibus & Officijs in Regno excluderentur. Adjecit ad extremum Regio Juramento paragraphum de recuparandis à Regno avulfis, ut illos efficaciùs in Officio hâc Jurisjurandi religione continere poffint, fi etenim urgente juramentô obftringatur Rex abftracta á Regno recuperare, & unire eidem, multò magis ex eadem obligatione tenetur unita non diftrahere, aut alienare.

31. Quintum contra difmembrationes adhibuit Refpublica remedium *amotionem & fublationem prætenfionum*, quafcunq; fivè exteri, fivè Patriotæ Ducalis & eminentioris generis aliquo prætextu in Rempublicam haberent. Exterorum prætenfiones fopiebant Majores noftri per compofitiones; Domefticas verò fupplicibûs apud Dominos fuos precibûs, qui eis ex amore erga Rempublicam benignè renuntiabant. Ita Anna Soror Augufti à Jure, quodcunq; in Maternam reformationem habere poterat, benevolè receffit; Sic Sigifmundus III. fuam fucceffionem Avialem & mutuo debitum, quod Auguftus I. à Patre ipfius contraxerat, circa Actum Electionis remifit; Idem filij fui Vladiflai per Conftitutionem 1609. Juris fucceffori ex Maternis reformationibus prætenfiones fuftulit. Quantùm verò circa abolitionem prætenfionis, quam *Conftantia* ex Jure emptionis Bonorum Zywiec habuit in Republica, Ordines Regni laborârint, recenti inhæret memoriæ. Edocti funt tot fuis malis, quæ in illos ex hoc difmembrationum fonte promanabant, fapere, nec parvi pendere etiam umbram prætenfionum, quas fibi in Republica quocunq; titulô aliquis ufurparet. Ex hac ratione multîs prævijs cautionibûs, Reginis reformationes, (ut vulgò appellantur) infcribuntur, reminifcendo, quantis expofuit tricis Rempublicam Gryphina, poft fata Lefci Nigri coloratum Jus fuum fuper Cracovienfem & Sandomirienfem Ducatus in Vaclaum Bohemiæ Regem transfundendo. Idem difmembrationis metus ad eam quoq; circumfpectionem urget Rempublicam, quod dum fubindè Proli Regiæ & fi temporalem in ufu fructu fuorum bonorum defignat provifionem, magnas adhibet cautelas, nec aliter, quam in directivam gubernationem poffeffionatæ Nobilitatis ejufmodi bona tradit, ut in cafu controverfæ vel injuriofæ actionis, habeatur, cum quo Jure agi poffit.

Ante-

Antecessores Nostri intendentes nos sollicitam circa pericula dismembrationum in Republica edocere vigilantiam, consveverant hanc narrare parabolam: In Sylvis Zywecensibus quercus crescendo aliquot sæculis ad tantam devenerat magnitudinem, frondiumq; multitudinem, ut nemo ruricolarum, etiam lignariorum ausus sit securim ponere ad radicem. Difficilè namq; erat prosternere, difficiliùs domum devehere. Attamen ad hæc res devenit, quod doliarius quidam rem tentare inceperit, ac prope illam debilia sua adduxerit cum malè compacto curru jumenta; Arbor magnitudini suæ ac duritiei fidens tàm lignatorem, quàm aggrestem apparatum contemptui duxerat, ille nihilominùs succidere eam aggressus est, robur verò ad quodlibet amputatum segmentum dicebat *flocci id habeo*, ac ita assiduò iteratîs ictibûs tandem arborem evertit; Adhuc tamen quercus plenam collocabat fiduciam in magnis nimiùm, numerosisq; frondibus suis, quas dum sigillatim amputabat victor, post uniuscujusq; abscissionem quercus repetebat: *nugæ hæc sunt*; Frondibûs jam abscissis, ultimam spem locaverat in crassitudine duritieq; sua; doliarius interea in partes serâ dissecuit, factisq; cuneis ex ramis, frustatím arborem diffidit, domumq; successivè devexit, varia ex eo utensilia & vasa elaboravit, quædam Vicinis, reliqua in Nundinis divendidit: Demùm quercus licèt sero, sensit, quò ipsi evaserint modica illa segmenta, illaq; modica detrimenta. Hâc parabolâ erudiunt nos Majores Nostri propriâ edocti experientiâ *nullum quidem dispendium etiam minimum Libertatis, ast specialiter ibi, ubi periculum dismembrationis intercedit, levi pendendum esse*, ne simile quod nobis eveniat, quod quercui; Si etiam modo Regi, aut aliis supra æqualitatem Ducali genere evectis fas esset frustatim Rempublicam per partes detruncare, certò

 cer-

certiùs nos iterum ùt olim, unà cum Libertate nostra partirentur.

DIES QUARTA.

Eruditi aliquot amicorum de Libertate colloquij.

Ostenditur, in quonam Libertatem nostram carpant Exteri.

I. R*Ara hæc* (loquitur apud Tacitum Arbetio) *felicitas est, ab ipsa felicitate infelicem non esse.* Nondū fortuna quidquā tam magnificè ac solide munivit, ut invidiæ, livoris, malignitatis confiniò lædi nequeat. Affine est veritati fabulosum Poetarum Commentum, qui referunt, quod Jupiter omnes Deas suâ mensâ exceptas *ita fraude Junonis affecit, ut cum singulæ mala suæ felicitati inimica prægustârint, fortuna & gloria de omnibus uno in poculo commistis malis totam exhauserint potionem.* Veritatem hujus fabulæ si quæpiam alia, certè nostræ Libertatis grandis fortuna, diffusaq; per totum Orbem gloria experitur, dum invidiosæ gentes tàm magna contra eam congerunt probra, tam grandia illi affingunt mala. *Sed quia Nobiscum liberè, hoc est benè & beatè vivere* (ut olim de simili invidiosorum hominum malevolentia loquebatur Atheniensis Phocion) *non possunt, malè de nobis loqui & scribere in solatio habent & lucro.*

2. Primus ex illis *Joannes Barclaius* natione Scotus in libro suo, cui hunc præfixit titulum: *Icon amicorum*, ita

ita nos deſcribit: *Eſt gens ad ferociam & Licentiam nata, quam vocant Libertatem, adeò, ut infandæ barbariei legem multis ſæculis ibi ſolennem vix nunc demùm omiſerint, ut qui hominem peremiſſet, ſolveretur metu Judiciorum, ſi in jacentis cadaver projeciſſet pauculos Nummos, quorum Numerus eadem Lege deſtinabatur. Nobilitas triſtibus prærogativis ſeipſam donavit, quibus poſſit ſibi invicem & impunè nocere: quippe Principi non ſatis Juris eſt, ut quod peccaverint, ipſe vindicet. Rex ad Patrias Leges vi & armîs adigitur, Ipſum nomen non tantùm ſervitutis ſed & juſti ac legitimi Imperij oderunt. Nec minor libido eſt Libertatis in moribus vitaq́; civili, quàm in Religionum & cæleſtium rerum ſenſu, de quibus ut placet, ſine metu & ſentire volunt & loqui. Hinc in diverſa ſciſſæ mentes, errorumq́; omnium lues, quicunq́; antiqua ſæcula polluerunt &c.*

Simile virus evomuit *Joannes Hankon* Bohemus contra nos, quale & *Barclaius* alijs duntaxat verbîs exprobrando, ac ita concludendo: *Illa deniq́;, quam ſuæ Libertatis pupillam apellant Tribunitia intercedendi poteſtas in tantum à prima ſui ſalubri ſanè inſtitutione degeneravit, ut ferè jam tota in malevolendi, maledicendi, turbandiq́; omnia tranſierit neceſſitatem. Hinc ſit, ut agendi opportunitatem importuniſſimis de lana caprina contentionibus conſumant, dies rerum verbîs & clamoribus terant; conſilij non aliter, atq́; ſacrificij certa expectant idq́; multis ceremonijs involuta tempora. Videas ibi pleroſq́; minas, vindictam, ambitionem ſpirantes ad Comitia pergere; Saulos videas, qui potentiorum donis atq́; largitionibus obſtricti ad eorum nutum per fas, & nefas, vel agunt omnia, vel aguntur &c.*

3.

3. Partibus ejusdem sine fronte maledicentiæ adjunxit se *Bartholom: Bertdorff* Augustodunensis, qui Libertatem nostram ita cavillabatur, asserens: *quod vivunt ut exleges, vestiuntur ut Angeli, convivantur ut Reges, habitant ut sues, dormiunt ut canes, pereunt ut volunt, & quando volunt liberè. Quæ illorũ Libertas creavit illis Cœlũ novũ & terram novã, fecitq; Poloniam Cœlũ Nobilium, Purgatorium Regum, Paradisum Judæorum, Lymbum Ecclesiasticorum, Infernum Plebeiorum, &c.* Antiquior illô *Procopius Pancerinus* gente Germanus ita eandem calumniam profert: *Polonia est Lymbus regnantium, cœlum nobilium, Purgatorium Ecclesiasticorum, infernus Plebeiorum, Paradisus Judæorum, aurifodina* (hic genuinam effatur veritatem) *Mercatorum.* Non desunt alij quoq; haud pauci blaterones, qui nos caninô dente proscindunt, ac eô ipsô probant continere aliquid veri hunc conceptum Poeticum: *Servitutem Patre Orcô, Matre invidiâ prognatam esse.* Aliquid diabolici in se continent, quod cum ipsi ad infernum servitutis devenerint, nobis beatitudinem Libertatis invidendo, solatio haberent, si secum in eadem damnatione nos viderent, similes illi vulpeculæ, quæ quod ipsa caudam amiserit, alijs vulpibus exaggerando caudarum incommoda, persvadebat, ut similiter ceu minùs necessarias, ac noxias caudas suas resecarent.

Ostenditur Polonos vitio suæ Libertatis justum Imperium non odisse, neq; Regem ad suas Leges vi & armis ab illis cogi.

4. Quod nos Poloni tenere & subinde communi amantium vitio plùs quâm par est, nostram diligamus Libertatem, libenter nosmet ipsi fatemur cum etenim illa sit (ut

ait

ait Seneca) *quoddam compendium felicitatis*, quid mirum? quod omnes omnium amores complexa est una. Et quare non amanda sit? *sub cujus umbra* (dicit Lucas Opalinius in *Polonia defensa*) *vivimus beati violentiæ tyrannicæ, metûsq; expertes. Procul à nobis illud humani generis opprobrium, illa corruptæ naturæ labes ac pestis, suprema adversæ fortunæ calamitas, pœna suppliciumq; vitæ mortalis extremum, malorum deniq; omnium fæcunda genitrix servitus. Non hic Publicanus, aut fiscus atterit, non miles spoliat, non opprimit, non cogit ad onera Princeps; delectus, tributa, Lex Majestatis unicum crimen eorum, qui crimine carent, tum Delatores exitio hominum repertum genus, severa supplicia, carcer, proscriptio, exilium, ac deniq; indicta causa mors, omnia hæc ignota nobis pariter sunt & invisa. Accedimus ad Rempublicam cum lubet, non adacti munera subimus, non ponimus sine causa jussi, tutum est privatum agere, vacat periculo. gerere Magistratum; non opes, non Nobilitas, non honores pro crimine, nullum ex magna fama & popularitate periculum, nullum ex virtute exitium.*

5. Quamvis igitur supra cunctas alias gentes hâc Libertatis sorte beatiores consistimus, non ideo tamen justi & legitimi Imperij nomen abhorremus, nec Reges ad Patrias Leges (ut impostor Barclaius asserit) vi & armis adigimus. Verum est (fatemur) quod apud Reges nostros non hæreditas, non patrimonium sub Imperio sumus, verùm quod apud nos Rex sedem Principis occupat, ne sit Domino Locus, verùm, quod non Legibus, sed ex Legibus imperat, verùm quod Civibus & Reipublicæ datum se potiùs, non sibi Rempublicam & Cives arbitratur, verùm, quod Polonam Aquilam Electis à Nobis Dominis non alitèr, quàm

cum duabus (prout in Aula Senatoris cujusdam antiquâ picturâ expressum vidi) pedicis tintinnabulô instructis tradimus, quarum uni inscriptum erat: Rex nihil me contra Leges facere jubeto, nec ipse facito. Alteri verò: Rex nihil contra me sine meo consensu statuito, quia aliàs omne irritum & inane fieri est necesse. Verùm, quod nolumus apud nos Regem habere pro regula regiminis *sic volo, sic jubeo*, nec potest Libertas nostra id pati, quod assveta ad grave jugum in alijs gentibus supportat servitus, ubi voluntas Principis spirat, & subditi Populi suspirant; Verùm, quod apud nos non habet locum illud Politici cujusdam de Regibus effatum: *Splendor Regum est Ecclypsis Populorum*, verùm, quod nolumus Reges nostros in Republica tàm Serenissimos habere, uti est Sol in firmamento, qui quoniam subjecta sibi Astra, nimiâ claritatis suæ potentiâ opprimit, benè ipsi additum est Lemma; *adimit, quod dedit.* Verùm quod recusamus tali Regum Nostrorum subesse imperio, quali subsunt ignava jugò, oneribûs, & verberibus destinata pecora, sed potiùs veluti generosiora animalia, quæ non servili severitate, sed ingenuâ & industriâ tractatione, non tam virgâ & calcaribus, quàm frenô in officio continentur.

6. Accommodatissimum præsenti materiæ olim legi & exscripsi discursum ex animadversionibus cujusdam Nobilis: Politici (inquit ille) considerantes limitatum in regimine super liberam gentem Regis nostri Dominatum, vocant ipsum *Regem Regum*. Rex etenim Poloniæ in sua gubernatione obtinet quid simile cum Dominio Noe in Arca super animalia; is cum præesset Leoni, qui est Rex animalium, Aquilæ, quæ est Rex volucrum &c. magna cum mansvetudine hosce subditos suos regebat uniuscujusq; naturæ, dignitati, & qualitatibus sese accommodando. Similiter Rex

Polo-

Poloniæ quia liberæ gentis eſt Dominus, non aliter, quàm maturè penſatâ cujuſvis Libertate, ſuoq; juramento firmatâ ſubjectis populis imperare debet. Non ita ut alij Monarchæ, qui ſunt ceu Reges jumentorum, ubi ſubditi ſub onere & virga veluti ignava animalia tractantur. Ab hiſtorijs edocemur, quod ante Reges præſertim in Ægypto manipuli ferebantur, puto ideò, ut Rex præ oculis cernens manipulum, duas res præcipuè bono ſubditorum regimini neceſſarias conſideret; primum, ut ſpectet ſcopum imperij ſui, nam uti manipulus non alium habet finem, quàm bonum & commodum hominum, ſic quoq; gubernij Regij non alius ſcopus & finis eſſe debet, quàm bonum publicum ſubjecti populi, non ſpecie, non nomine (inquit Seneca) Regum, ſed utilitate metiendum. Eſſe Regem, eſt admittere in animum Reipublicæ curam, fata populi ſuſcipere, oblitum quodammodò ſui gentibus vivere, & ſibi perſvadere, non eſſe Principis Rempublicam, ſed Principem Reipublicæ. Alterum, quod antiquiora ſæcula ex manipulo adnotari mandârunt, eſt modus adminiſtrandæ concreditæ ſibi Reipublicæ, ſcitè enim cum manipulo procedere intereſt, ſi eum ligare opus fuerit, non fune, non ferreô circulô, aſt ex ipſa ſegete vincturâ factâ ligandus eſt, ſi collocare in campo, tunc non terendus, non temerè jaciendus, nec pedibus calcandus, ſi convehere ad horreum, tunc lentè agendum eſt, ne granum diſſipetur, ſi etiam ſub ictus trituræ devenerit, granum ſegregare, nec ſtramen penitùs contundere opportet.

7. Methodus, qua tractantur manipuli, ad benè regendas Liberas gentes pariter adhiberi debet. Hiſtoria Primi Monarchæ Noſtri Lechi inter alia narrat: *Reditus tunc & agros peculiares nullos habebat Princeps, ſed ei cuncti ſeminabant, atq; metebant.* Novi equidem quod Anteceſſores

res Noſtri uti tunc Gens rudis, & nullis culta literis ſymbola formare ignoraverint, attamen partim reſpiciendo fatorum Arcana, quæ frequenter futurorum eventuum profunda involvunt Myſteria, partim perpendendo præſentem Libertatis noſtræ fortunam, poſſet quis conjicere, quod jam tunc Progenitores Noſtri convehendo ac comportando manipulos Dominis ſuis, docuerint eos, quali modo cum ſubjecta Gente à natura ad ingenuitatem & Libertatem proclivi ſeſe gerere teneantur, & ut perſpectum habeant, quod uti in manipulo tàm minores, quàm majores ariſtæ unô concludantur Ligamine, ita in Republica non tantùm ſimplicem egenumq; Nobilem, verùm etiam Magnatem & dignitate fulgentem ad formam æqualitatis eadem Lex conſtringere debeat; Ne tam hos, quàm illos comprimant per tyrranidem, terant per injuriam, abjiciant per contemptum, conculcent per oppreſſionem, concutiant per furorem, ſed clementèr benignitate ſibi devinciant cunctos, ac unumquemq; ſibi ſubjectum cùm reſpectu ad Libertatem & dignitatem illius cautè tractent; quodſi opus fuerit diſciplinâ compeſcere, aut aliquid grani excutere, clementiæ Regis intererit ferè ſimile quid *Salaminijs* facere, qui *ante & poſt trituram manipulos inclinati deprecabantur, ne eam neceſſariam ſeveritatem, & inclementiam graviter ferant. Parem ſupra benignam ſubjectorum ſuæ poteſtati tractationem potes facere reflexionem in Ordine ad Spirituales & Nobiles, ſiquidem Reges decimas omnes manipulares ſibi debitas Spiritualibus donârunt, Nobiles quoq; multi eaſdem à Spiritualibus redemerunt.*

8. Haud fruſtra Poloni ſolemus in Campo aperto Regem eligere, ut fortaſſis nobis clementi Dominiô ſuô ceu campeſtribus manipulis ſeſe accommodare ſciat & velit. Campeſtris Polonus liber vult eſſe Incola, haud alitèr, quam

olim

olim *Lacon*, qui captivus cum venundaretur, interrogatus. ab emptore, quam ſciret artem? reſpondit: *ſcio liber eſſe*. Antiquioribus ſæculis (ut teſtatur *Pierius*) erat in proverbio. *Subditis in Rege tria P.P.P. ſunt formidanda*: videlicet dum eſt *potens, pertinax, pavidus*. Nos verò Poloni ita Reges noſtros Lege circumſcripſimus, ita eos Libertati accommodavimus, ut nullus ex illis poſſit eſſe niſi *Pius Pater Patriæ*. Et quamvis apud nos non ſit Rex ſupra Leges, ſed Leges ſupra Regem, nihil tamen hoc derogat, nihil adimit Coronatæ ejus Majeſtati, ſed potius immortali adornat gloriâ, Imperiumq; diuturnum ſolidat. *Theopompus* Lacædemoniorum Rex obtinens in ſuo Regno poteſtatem nullis reſtrictam Legibûs, ſuâ ſponte *Ephoros* conſtituit, qui adinſtar Tribunorum Romanorum potentiam Regiam in æquilibrio & freno tenerent, cùm verò ipſi conſors Regina exprobraret, quod Regnum filio relicturus eſſet diminutâ poteſtate, repoſuit: *Diminutâ quidem ſed diuturniore*. Ejuſmodi veritatem Reges Noſtri præcipuè tamen Auguſtus I. qui ſùpra alios Prædeceſſores ſuos majores nobis contulit Libertates, expertus eſt. Gloriabatur enim *plus apud ſuos Polonos intra tàm amplam Libertatem obtinere unâ detectione capitis, quàm abſoluti Domini terrore & potentiâ*. Rex Stephanus, quamvis multi ex Principalioribus Civibus contra ipſum habuerint nonnullas querelas, attamen pro expeditione Moſcouitica circiter decem millia hujuſmodi Militum numeravit in ſolius ſuæ humanitatis gratiam à quibuſdam Proceribus propriô ære conductorum, *quos pileatum vocabat Exercitum*. Si hucuſq; deprædicamus Ethnicos Cæſares *Severum & Antonium*, quorum effatum fuit; *Licèt Legibûs ſoluti ſimus, ſub Legibus tamen vivimus*. Longè glorioſiùs eſt Noſtris Regibus dicere; *quia Legibus ligati ſumus, ſub legibus vi-*

vi-

vimus. Haud gravat noſtros Reges, quod non ſint exleges, imò gloriæ id ſibi ducunt, ut olim fatebatur Auguſtus I. qui in conclavi velo Regio inſcribi curavit hæc verba: *Lex Pedagogus noſter*, hæc ex animadverſionibus illius Nobillis.

9. De eadem re Joannes Chomętowſki in Libello, cui titulus: *Fidelis Polonus*, ita diſſerit: *Et quamvis Regibus Noſtris hoc frænum Legum, ne imperantium vitio nimium audeant, impoſuimus, quamvis poteſtatis licentiam agnatum Regnantibus malum ad tabulam juſti Imperij redegimus, non tamen ideo hoc grave frænum eſt, ut illud cum indignatione mordere; non tàm intollerabile onus, ut illô gravati gemere queant*: imò dum inter Candidatorum ambitum pro corona noſtra æmulantur, ac Coronata jam quandoq; Capita ſua jugo Libertatis nóſtræ ſubmittunt, hoc quod invidi, ſeû imperiti pro injuria, ipſi pro beneficio reputant, ſi quem ex illis ad eam fortunam liberi populi ſuffragia evehant, libenter & verè fatendo: *Jugum meum ſvave eſt, & onus meum leve*. Meritò igitûr Orbis Libertati applaudit noſtræ, ac apud exteros Monarchas tam ſublimem gratulatur æſtimationem.

O pulchra Libertas! & Orbis
Conſilio, cupidiſq; Regum
Obſeſſa Votis!

Vanè nobis objectant Henricum: non hoc eum onus deſerere Regnûm coègit, aſt fervidus fraterni Regni appetitus, ac demum Juvenilis levitas ipſi infamem ac luctuoſum, nobis verò ſine dedecore utilem perſvaſit diſceſſum. Si alicubi, certè in Patria noſtra videtur cum Regina certare dilectio ſubditorum, quandoquidem (uti prudenti convenit indoli) ita eſt propenſa erga Reges, ut planè hic conveniant, & *in una ſede morentur Majeſtas & amor*. Non aſſen-

tatio.

tationis ergò, à cujus neceſſitate fuit alienus, aſt ipſâ experientiâ confirmatæ veritati edidit oraculum Sigiſmundus antiqvus, dum in præſentia aliquot Monarcharum eô, ceu ſummâ gloriabatur fortunâ *tam multùm ſe de fide & amore ſubditorum erga Perſonam ſuam tenere, ut in cujuſvis ſinu quieſcere ſecurè poſſit.*

10. Haud fruſtra in pectore & corde gentilitiæ Aquilæ Patriæ noſtræ Inſignia Regum exprimimus, quía ipſos in corde noſtro collocamus: apud nos id verè fit, quod olim Plinius affirmavit: *A nullis magis Principem amari, quàm qui maximè Dominum gravant.* Non ſumus Monarchomachi parricidæ, quales alibí mundus deteſtatur. Certùm eſt, quod nonullos, quos priùs ſuà proſcripſerat impietas, depoſuimus è Solio, nullum tamen privavimus vitâ. Quomodo enim poſſemus aut vellemus inſidiari, & exitium moliri talibus Regibus, quî nos Legum beneficiô protectos, non tributîs, non exactionibus, non armîs, non mortibus opprimunt. Quomodò tales Reges totô corde complecti non debeamus, à quorum poteſtate Legibûs temperata nihil timemus mali, omnia ſperamus & capimus bona. Dum ad oſculum manûs Regiæ admittimur, non tam annuli, quàm Libertatis gemmam, quam illi geſtant, non tàm manum, quâm gazam beneficiorum deoſculamur, ac dum manum libamus, unà amori noſtro litamus, ac quaſi guſtamus ore protunc Regum noſtrorum amorem, quem corde recondimus. Ex hoc amore provenit, quod licèt hæreditarios non cenſeamus Reges, licèt *imperaturus omnibus eligitur ex omnibus, & ab omnibus,* nunquam tamèn Superſtitem Sangvinem Regium ſuffragijs deſtituimus, quamvis quærendi fuiſſent ultra maria in Monaſticis receſſibus, ut Caſimirus: Imò dum maſcula deficiebat proles, etiam in fæmineum ejuſdem Sangvinis Regij ſe-

xum

xum eandem gratiam proveximus. Coronavimus Vaclaum adjectâ conditione, ut Rixam post Premislaum Regem; coronavimus Jagellonem, ut Hedvigem post Ludovicum; coronavimus Stephanum, ut Annam post Sigismundum primum Superstites filias in socias thori assumentes, illis ex parte fortunam suam deberent. Sigismundo quoq; III. haud parùm profuit accessui ad coronam, quod fuerit ex Catharina de Domo Jagellonica natus.

11. Unde quandocunq; apud nos Corona vacat, Candidati Principes id in commendationem sui præcipuè allegant, quod *descendant ex Sangvine Regum Poloniæ*, ut ut remotissimum ad suam domum deduxerint rivum. Quô ipso nobis Polonis attribuunt: *nullo apud nos ætatum seniô amorem erga Reges nostros evanescere*, eòq; ipso confundunt invidos Libertati nostræ calumniatores, qui nos in eo carpunt, quod agentes pro Libertate nostra Regibus nostris violenti simus: In comperto est: *timidum Libertatis ingenium*, contendit quandoq; cum Regibus de suis læsionibus; Extremæ enim id servitutis esset, si nec liceret Libertati loqui quô dolet. Proprium hoc duntaxat servituti (uti ipsam describit sapiens ille Senator Romanus Boetius alloquens Theodoricum Regem Italiæ) imitari *Crocodillum*, de cujus natura experti narrant, *quod habeat quidem oculos ad flendum, sed lingvâ careat.* Utiq; de læsis Libertatibus ac Legibus conquerimur intra terminos modestiæ & reverentiæ Majestatis, dumq; à nostris Jovibus quandoq; noxia Libertati nostræ intonant flumina, ita agimus, ut moris est in similibus Cælorum minis se gerere devotos Christianos: Aquam illi benedictam adhibent, sacratas herbas cremant, cereos accendunt, genua coram Sacris Imaginibus flectunt, Sancta legunt Evangelia &c. Similiter & nos facimus, supplices sistimur, deprecamurq; Reges Nostros, etiamsi

amsi opus fuerit genua flectendo, lachrymis pedes eorum conspergendo, prælegimus ipsis Evangelia, id est Jura, Statuta, & Privilegia, ac super omnia Juramentum eorum, quô se obstrinxerunt. Liquet id Regibus Nostris apud nos cordis locô esse Libertatem, ipsos verò ceu caput Patriæ; Proindè dum hoc cor præmunimus, quæ injuria capiti? illud enim *primum vivens* in Caput primariò suas refundit utilitates. Norunt & id, quod licèt assentatione Tyberius proferebat, attamen reverâ: *In Republica liberas esse lingvas oportet, quia nihil illi liberum est, cui lingva libera non est.*

Ostenditur non obesse Libertatem Polonorum, quò minus Rex delinquentes coërceat.

12. Infallibilis quidem est veritas, inniti hisce duobus potissimùm, ceu fortibus columnis, *præmio & pæna* quamlibet Rempublicam; In animis tamen Libertati assvetis citiùs & faciliùs virtutis studium excitatur præmiô, quam pænâ. Affirmat Seneca, quod *pæna jubet tantum bona agere, & cogit non peccare, præmium autem stimulat, trahitq; svaviter; potiora autem sunt sponte suscepta, quam timore expressa Officia.* Ea de causa optimum Patriæ nostræ institutum: tales Reges voluisse, qui satiùs beneficiîs, quam asperioribûs remediîs ingenia nostra experiantur, accendantq; potiùs voluntates, quàm adigant. Verum est, quod nos Regibus Nostris concredidimus irrogationem pænarum, sed & non omnium, & manibus Eorum benè Lege revinctis. Novimus enim quantas alibi sævitia Regum perpatrat subditorum strages, Non ignoramus, quantas Lex Majestatis lanienas exercet. Scimus, quas exlex voluntas Principum varijs prætextibus involutas tyrannides committit, ubi eadem facilitate clarorum in Republica virorum, quâ emi-

N nenti-

nentiorum papaverum decutiuntur capita adeò, ut nec fas sit quærere:

Quo cecidit sub crimine? quisnam
Delator? quibùs indicijs? quo teste probavit?
Nihil horum: Verbosa & grandis Epistola venit
A Capreis.

Terrent nos ejusmodi exempla, ac unà cautos faciunt pericula. Unde sicut aliæ potestatis summæ restrictiones, ita is quoq; puniendi modus imperantibus positus. Quo ad præmia, hæc omnia liberalissimè concessit Respublica *Regibus*, dum tám sæcularia, quàm Spiritualia Officia, dìgnitates, & quævis vacantia munia dispensationi eorum tradidit, quæ illi Capacibus & emeritis Civibus juxta velle & placitum suum distribuerent. Quæ omnia quia post fata suorum possessorum ad eandem, undè profluxerant, redeunt manum, est id perenne Regum nostrorum benefaciendi profluvium, sive mare quoddam gratiarum, quô non tantum æquiparantur pluribus Christianis Monarchis, sed eos etiam omnes superant.

13. Circa hanc materiam pulcher est discursus Lucæ Opalinscij, Mareschalci Curiæ Regni: *Tali corruptum Reipublicæ statum auctione Regibus majoris potestatis velle emendare, meo judiciô est res Libertati periculosa, & pejus morbô remedium.* Pro ingenita enim hominibus libidine non est ita moderatus imperantium animus, ut his potestatis & juris Limitibûs contineatur, quas illis Leges præscribunt, ac determinant. Et si ipsis facultas benevolè deberet ad irrogandas pænas à subditis augeri, pro certo intra suos non contineretur Limites, sed accresceret, & ascenderet à Principatu ad Dominatum. Rectè enim dictum: *Nec Regna habere socium, nec tædæ sciunt.* Quæ socie-

tas

tas & communio Imperij quia debet esse in liberis dominijs, ubi authoritas Regiæ Majestatis Authoritati Legum aut suppar, aut inferior existit, proindè hoc consortium impatienter ferendo Domini, certè illud aucti viribûs & potentiâ abesse vellent. *Potentia omnes animi motus in facta impellit; & valde periculosum est, ne cui licet facere, quod vult, is velit, quod non licet.* Inconveniens igitur est periculo exponere Libertatem; *parùm enim tuta est Libertas, quam præpotens tractat Majestas.* Horribilis semper fuit Antecessoribus nostris nimiùm potens unius Dominatus: scimus utiq;, prout corruptum Statum Vicinorum nostrorum corrigebat plùs æquô elata potestas imperantium, qui potentiæ securi dum frænum licentiæ adaptabant, Libertati jugum dederunt. Ad quæ ne ipsi deveniamus, cautè nimium augendam esse potestatem Regibus, præcipuè gladium justitiæ, *cujus semel injecti vecors libido est,* non aliter, quàm benè ligatæ Legibûs manui concedendũ esse.

14. Id adhuc superaddam non opus esse apud nos plùs Regibus potestatis impertiri & augere. Efficax siquidem apud nos totiès potest esse Reipublicæ correctura, quoties imperans congruâ dexteritate sua ad eam afferet studium, & sinceram erga bonum publicum applicationem. Nobis etenim Polonis id apprimè quadrat, quod inquit Plinius: *Flexibiles quamcunq; in partem ducimur à Principe, & ut ita dicam, sequaces sumus.* Quis enim non libenter ad obsequia & conservationem dilectæ Patriæ Matris suæ concurreret tantum spectando Ducem? Nec fuit, nec unquam futurum est in Polonia tàm sterile virtutum sæculum, ut non plures reperiantur tales, quibus non coactione, sed manuductione opus sit. Et quoniam hisce duobus Reges *præmio & pænâ* quemlibet in suo continent officio, hîs in bono ordine conservant Imperia, hîs authoritatem & securitatem

tem Majestatis suæ firmant, utrumq; id obtinent Reges nostri: omnium enim in Patria Officiorum, omnium dignitatum ac præmiorum libera est tradita ipsis dispensatio: ex quo ipso satis apud nos reflоreret antiqua Polonorum virtus, si benemeritis non sola rectefactorum conscientia foret merces; Si solum Reipublicæ bonum esset meta gratiæ & beneficentiæ Regiæ, si illam modestæ & non avidæ virtuti ij qui molestissimè petunt, non præriperent, si non privatæ recommendationes, non emendicatæ, aut magno ære emptæ promotiones, sed merita, ac sufficiens capacitas ad favores Domini viam sternerent, tali modo ad se Rex allectis subditorum cordibus, facilè florentem bono Ordine Reipublicæ correcturam constitueret; hoc inquam dulce frænum, is svavis modus est, quo Dominus sine sui odio citra jacturam Libertatis nostræ videbitur *invenisse prius bonos, quàm fecisse*. Haud equidem adeò sumus depravati, ut nequeamus inclinari ad bonum, dum prodierit esse bonos.

15. Proindè & potestatis quantum in libero imperio convenit, habet Rex satis, nec opus est ampliore, supra eam, quam ipsi Reipublicæ Institutum concessit, si modò velit & sciat, res dissonas, Libertatem & Principatum conciliare, si Rempublicam liberam, ceu proprium suum dominium amet, bonoq; ipsius prospiciat: Ne dicat cum illo, *ut quid rei, non diu meum nec postea meorum nimis acriter intendam? frui satis est*. Sciat se habere imperium cum præcellenti merito & nexu, nec suorum subditorum libertatem reputet esse molestam, nec Privilegia prærogativasq; eorum censeat minùs honorifica dignitati suæ &c. Hucusq; decus Curiæ Regni Opalinscius. Et tale est civile, tale utile Imperium, nam Regibus quoq; certior ex mansvetudine securitas & subditorum ex constricta Legibus potestate tutior cum Libertate salus. Clementiam Politici vocant *an-*

cho-

horum Regnorum volentes fortassis instruere Reges, excellentiorem, securioremq; esse pontem, per quem tum eorum, tum etiam Reipublicæ transiret fortuna in anchoris clementiæ, quàm in palis severitatis firmatum. Non modo nostra Polonia, sed & aliæ omnes penè, præsertim Christianæ gentes, quæ nunc sub absoluto jugo gemunt, habuerunt Imperia Legibûs & Libertate temperata. *In Gallia* (inquit Thuanus) *Herôum, qui apellabantur Patres, tanta fuit Authoritas, ut ad eos de rebus omnibus referret Rex, atq; penes eos erat rerum summa æqualis propè cum Rege dignitas.* De eodem Regno recentior Bodinus ait: *Princeps etiam apud parlamentum accipit Judicium, condemnaturq; sæpè, atq; judicatum solvit. Extat enim in Actis curiæ Parisiorum Sententia adversùs Carolum VII Regem lata, quâ damnatur sylvam Urbi proximam in Parisiorum usum cedere pretio constituto.*

16. Hispaniæ quoq; Regnum non adeò pridem ex alijs pluribus Regnis coaluit, ex quibus unum quodq; habuit regimen legibûs temperatum, donec vis & oppressio exlegi dominationi subjecit. *Asiatica tantùm* (dicit *Thuanus*) *olim ita indefinitæ potestatis fuêre Regna; Europeis verò populis exlex ista dominatio invisa semper fuit, & nunquam toleranda, Servitium pati non poterant: Principatum poterant & Reges, qui non se Dominos, sed Rectores, & Patres cogitarent ita Rempublicam gerentes, ut sciant non suam tantum, sed & Populi rem esse. Quam verò felicia hodie fuissent Christianorum Imperia, si hæc beata temperata Regum potestatis sors omnibus obtigisset. Ista temerè bellandi libido, ista concessa populorum latrocinia cessarent facilè, nec sub tot calamitatum onere & jugo gemerent miseri populi, si ambitioni, cupiditati, & licentiæ Princi-*

pum obicem Leges ponerent. Hæc beata ſors, quod noſtræ genti obvenit, gratulandum nobis ſatiùs, & ad eam aſpirandum, non verò carpendum graviter fuerat à ſervilibus nationibus. Ferrea ipſorum ſervitus ſuſtinere poteſt gravem malleum ſeveri dominij, & ictum, Noſtra verò Libertas quia eſt aurea, gemmaq; pretioſa, haud mirùm, quod à Regibus noſtris non aliter, quàm ab aurifabris aurum & pretioſi lapides tractari debet; Si quando ferula adhibenda eſt, tum id cautè & diſcretè ac ſi ligneô, aut ſi opus fuerit ferreo, parvo nihilominùs malleolo facient. Volumus, ut non in Verbis, non in titulis, ſed re ipsâ ſint nobis *Domini Clementiſſimi*; Volumus, ut ita cum libera gente noſtra procedant, proùt quondam Genuenſes Principem Ludovicum Sforciam edocuerunt: Is per Legatum ſuum mandaverat ipſis grande tributum conferre; Illi verò lautè exceptum Legatum ad hortum deduxerunt, herbamq; ipſi, quam *Baſilicam* vocamus, porrexerunt, dicentes: Accipe, ac molliter hanc herbam tenens, olfacias: fecit id, & ſvavem eſt expertus odorem; demùm juſſerunt, ut eandem herbam compreſſam ac contritam odoraretur, fecit, & intolerabilem fætorem ſenſit. Applicârunt id demùm ad regimen & imperium Ludovici, cui mandârunt dicere. Populum Genuenſem eſſe ejuſmodi herbam; Si Sforcia Princeps clementer cum illo procedet, obſequium ab omnibus obtinebit, ſi vero forti ac ſeverâ manu ſtringet, acerbum ſibi & refragarium experietur.

17. Volumus, ne apud Reges noſtros ſimus, ut alij apud ſuos, illos abaculos referentes, qui pro eo, ut computatori libet, modò aſſem, modò talentum, modò nihil valent; Volumus, ut ita Vicariam DEI poteſtatem repræſentent, ut Illius gubernium imitentur. *Pulcherrimam vero* (inquit noſter quidam Polonus) *& præſtantiſſimam hæc poteſtatis*

statis Regiæ moderatio efficit Reipublicæ formam, quæ sola maximè potest esse diuturna & felix, utpotè, quæ ad ipsius Dei regimen proximè accedit. DEUS porro cuncta justè gubernat, ac regit, quia infinitæ bonitatis, sapientiæ, Sanctitatisq; suæ præscripto velut Lege aliquâ adstrictûs tenetur, neq; aliter omnia agere potest, quàm benè, sanctè & justè. Humana vero Regum natura cum corrupta sit, atq; ad malum præceps feratur, non jam à propria voluntate Legem hanc petere debet, verùm ab alterius judicio ac potestate, cujus nempè interest illam non errare, eamq; suo assensu firmatam servare tenetur. Et quemadmodum Divinæ Majestati ac potestati nihil detrahitur, quod infinitâ naturæ suæ bonitate, Sanctitate, atq; sapientiâ veluti Legibûs quibusdam obligatus nullam errandi delinquendiq; habeat licentiam, imò quia delinquere non potentiæ, sed infirmitatis est, multùm commendatur ab hac delinquendi impotentia DEUS. Ita & nostrorum Regum non læditur Majestas, non minuitur potestas Legibûs, quæ illos errare, delinquereq; non sinunt, sed potiùs firmatur, stabiliturq;, ac prope Divino assimilatur Regimini &c.

18. Quod Reges nostros exleges habere nolimus, sed eorum potestatem Legibûs ligemus, conformamur in eo perfectissimæ Divinæ Sapientiæ regulæ quæ *Deutoronomij* 17. instituendo Regem, ita eum circumscribit & ceu fundamentalibus Legibûs constringit. Nos Poloni ex præscripto Legum nostrarum nolumus habere Regem præterquàm *Catholicum* seu natum, seu vocatum. Similiter Legem tulit Deus populo suo: *Non poteris alterius gentis* (quod Sacri Scripturæ Divinæ Interpretes non tantum de qualitate generis, sed etiam religionis intelligunt) *hominem Regem facere, qui non sit frater tuus.* Apud nos Polonos illici-

tum

tum est Regi insciâ Republicâ Exercitus ullos conscribere, aut in viscera Patriæ introducere, non licet offensiva bella suscipere, non licet armatam Nobilitatem extra Limites Regni educere, prorsùs nihil absq; consensu Ordinum de bello decernere, aut moliri. Pariter DEUS Populo suo præceperat: *Cum fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos, nec reducet Populum in Ægyptum Equitatûs numerô sublevatus.* De Matrimonio hanc DEUS Regi Populi electi Legem præfixit: *Non habebit uxores, quæ alliciant animum ejus.* Apud nos quoq; Rex de Matrimonio suo nequit aliquid statuere absq; Consilio Senatus, & non eam Conjugem eligere, quæ solum alliciat animum illius, sed quæ etiam publico bono conducat. Prohibuit DEUS Regem Populi sui habere nimias opes: *Non habebit argenti & auri immensa pondera*: Nos etiam quamvis sustentationi Regiæ magnificè provideamus, ne tamen ex bonis nostris per arbitrarias contributiones, proût alij faciunt, ditescere possit, permittimus. Voluit Altissimus, ut constitutus supra populum Ejus Rex non sit exlex, sed ut certis Legibus subjiciatur, illasq; observet. *Postquam autem sederit in solio Regni sui, describet sibi Deutoronomium Legis, & habebit secum, legetq; illud omnibûs diebûs vitæ suæ, ut discat timere DEUM suum, & custodire verba, & ceremonias ejus, quæ in Lege præcepta sunt.* Nos quoq; Poloni nolumus habere Regem, cui *voluntas stet pro lege, sic volo, sic jubeo,* pro regula recti; sed manibus ejus tradimus Deutoronomium Polonarum Legum, quas observare obstringitur juramentô; ad extremum exigebat DEUS à Rege Populi sui, *ut non elevetur cor ejus in superbiam supra fratres suos.* Etiam nos Poloni superbè & serviliter imperantem tyrannum tolerare non possumus, sed tales cupimus habere Reges, qui nos non mancipia

cipia, non servos, sed Cives censeant. Nihil tamen inde decedit Justitiæ, quia & severitas suppliciorum manet penes ordinarios Magistratus, ubi parata est unicuiq; sceleri pœna, & ipse Rex in Comitialibus Postcurialibusq; Judicijs suis Justitiam administrat.

Ostenditur Libertatem Polonam non concedere impunitatem homicidiorum.

19. Quòd in Polonia pro homicidio capitalia non sint reorum supplicia, hæc est effrons calumnia, quod verò non semper caput capite compensatur, ast subinde pecuniaria mulcta redimitur, hoc Judicialis decidit sententia, *non pauculi Nummi*, (ut calumniator Barclaius ait) in cadaver projecti. Et quoniam pecuniæ (uti Juris periti asserunt;) sunt *veluti alter sangvis & anima hominis*, gravis igitur est pœna multam summam, qualem communiter Judicium decernit, exsolvere pro capite: Ad hæc semper adjiciunt sessionem turris in fundo per Annum, aut plerumq; per duos annos, ex qua multi priusquàm exeant, moriuntur, nec eam pretiô redimere, aut per compositionem effugere quisquàm potest. Talis citra Sangvinem & supplicium pœna ultra id, quia est satis gravis, nec æquitati naturali, nec Legi Divinæ (ut hostes nostri reputant) est contraria, imo multis gentibus usitata & rectæ rationi congrua, quod *æquitati naturali* non sit contraria, ita demonstro: Verùm est, quod *omni sceleri debetur pæna*, attamen certè *non ultionis aut vindictæ, verùm Societatis, ad quam homo natus est, conservandæ causâ* inquit *Seneca*: Appetitus siquidem præponendi doloris, ad quem ipsa vindicta stimulat, non est proprius naturæ rationali, sed potiùs ei, quem cum brutis communem habemus, adeoq; finis pœnæ, quem natura rationalis respicere debet, est primùm *correctio peccantis*, demùm *metus & terror aliorum, ne similia au-*

deant committere delicta, ac etiam *securitas communis societatis*, ne mali bonis noceant. Ad assequenda hæc omnia non semper requiritur capitalis pæna; Imprimis enim ad emendationem delinquentium hæc pæna est optima, quæ pænitentiæ & emendationi relinquit locum. Ad præcautionem verò ac exemplum aliorum hæc pæna est efficatior, quæ est diuturnior. Demùm *securitati bonorum* (inquit Seneca) *potest sufficere pæna etiam citra mortem irrogata, si gravis & severa est, si non conniveat, non ignoscat, ac demùm ita infligatur, ut potestatem adimat nocendi*. Hæc omnia reperiuntur in hac pæna, quam subindè homicidæ absq; supplicio Capitis subire coguntur: evidens proindè est quod Leges nostræ in homicidas non sint contrariæ æquitati naturali.

20. Non sunt quoq; contrariæ *Juri Divino*, quàmvis hoc *dentem pro dente, oculum pro oculo, caput pro capite auferre mandet*. Sciendum enim est DEUM triplices in veteri Testamento populo suo constituisse Leges. Primas *Ceremoniales*, à quibus Christiani sumus liberi, imò prohibemur, ne illas observemus. Alteras *morales*, quæ præcipuè in Decalogo Divino continentur, earum obligatio ad observandum omnes afficit. Tertiò *politicas*, seu *Judiciales*, quæ nobis nec præceptæ, nec etiam prohibitæ sunt à Deo, sed libero relictæ arbitrio. Inter illas est quoq; hæc Lex Divina de homicidijs, à qua ut non debemus temerè recedere, ita affirmare cogimur, quod per eam non sit vetitum Supremæ Civili potestati, ut non possit pro ingenio & natura populorum sancire mitiora. Si etenim Supremæ Civili potestati juxta opinionem Doctorum licita est *clementia* & *remissio pænæ*, cur non debeat esse licita *moderatio* seu *temperamentum* ejusdem pænæ? non tanta siquidem est necessitas *supplicij*, quanta *restitutionis*. *Restitutio* enim

nim quia compensat injuriam, non debet invitâ parte læsâ condonari; pæna verò nihil aliud præterquam dulcedinem vindictæ accusatori adfert, potest esse capax veniæ, & à fortiori moderationis, quam nec ipsa Lex Evangelii prohibet, quia si repositionem injuriæ tam arctè restringit, longè magis talionem videtur improbare.

21. Neq; id etiam legimus, quod durante antiquô Testamentô fuerit in praxi aliquando *dentem pro dente, oculum pro oculo auferre*. Proindè evidens est, quod hæc severitas (ut interpretes Sacræ Scripturæ opinantur) magis ad terrorem, quàm ad executionem à Deo præcepta fuerit. Quinimò illi ipsi pro hac Lege Divina Zelatores in suis Dominiis oculum pro oculo non eruunt, nec dentem pro dente elidunt. Quia vero promptiùs quam apud nos capita decutiunt, consultè id faciunt, quia ipsorum corruptissimi mores & desperata ingenia ejusmodi severitatem exigunt. In Italia non tantum homicidia semper capitali suppliciô plectuntur, verùm etiam ipsa instrumenta necis severissimè prohibentur; Nihilominùs tamen ibi tam frequentia ac ferè diabolicâ malitiâ perpatrantur homicidia, tam innumera latrocinia, assiduæ invasiones, continuæ insidiæ committuntur. Notum est, quàm severè Gallia puniat homicidia, præsertim duellorum Monomachias, haud scio tamen, ubi plus sit lethalium duellorum, ubi plus crudelium homicidiorum, ubi plùs Latronum, quàm ibi? *Parisijs* (dicit *Francus Frisius*) *Ita omnes Plateæ prædonibus, infestæ non spoliantibûs tantùm, sed trucidantibûs etiam, ut non sit tutum, extra limen pedem efferre, cum publici hi Siccarij multa excedant millia.* Id de una loquitur Urbe; quid sentiendum de toto Regno? Id ipsum usui est alijs nationibus, quorum perditi mores talem suppliciorum severitatem necessariò requirunt. Nos verò non tam de-

desperatos mores, aut tam perversa habemus ingeniâ, ac proindè non indigemus asperioribus suppliciorum lanienis, quia nos hæc ipsa pœnarum lenitas cohibere potest satis.

22. Tales in casu homicidiorum Leges imò longè mitiores fuerunt in praxi apud multas Nationes. Primùm enim *vetustissimi mortalium* (dicit *Plutarchus*) *nulla adhuc mala libidine sine probro, sine scelere, adeóq; sine supplicio & pœna agebant.* Longè expost *corruptis moribus* (inquit *Tucidides*) *severitate & pœna opus quidem fuit, verùm illas verisimile est initio mitiores esse, donec propter lenitatem contemnerentur, tum enim ad mortem etiam processum est.* Romani capitalia supplicia penitùs sustulerant per illas Sancitas Leges *Portiam & Semproniam*, quæ Magistratibus interdicebant Civem verberare & supplicio afficere, sed tantùm in exilium relegare concesserant. Ejusmodi verò legem Cicero in oratione pro domo sua affirmat esse propriam liberæ Reipublicæ. Exponendus foret longus Elenchus, si omnes enumerarentur Gentes, quæ non semper pro capite, capite puniebant, verùm aut ad metalla, aut ad triremes, aut ad exilia & carceres, aut ad æternam servitutem condemnabant, proùt nunc nonullæ condemnant homicidas. Inter cætera speciali id dignum consideratione, quod lego in historia Hungariæ apud *Bonfinum*, qui inter alias Sancti Stephani Regis Leges hanc quoq; commemorat. *Si quis accensus irâ & superbiâ elatus spontaneum commiserit homicidium, sciat se juxta Senatûs nostri Decretum centum & decem daturum auri pensas, ex quibus quinquaginta Parentibus vel amicis dentur, decem autem condonentur Arbitris, & mediatoribus, ipse quidem homicida secundùm institutionem Canonum jejunet.* Hoc tale Regis Sancti sancitum quàmvis lenius sit quàm nostræ Patriæ, puto attamen, quod nul-

nullus reperietur tam effrons, qui illud impium, aut barbarum asserere audeat.

23. Talis demum apud nos pœnarum homicidij moderatio est consona rectæ rationi, si etenim severitatem pœnæ exigis, hæc magis exercetur cruciatu viventium; qualis est tam gravis *sessio in turri & solutio pecuniaria* ac proindè qui vellet mortis supplicium homicidæ urgere, potest illi dici cum Thyeste: *De fine pœnæ loqueris, ego pœnam volo. Mors* siquidem (ut ait *Seneca*) *ærumnarum est finis, cuncta mortalium mala dissolvit.* Si verò bonum Reipublicæ spectes, *nemo dubitat* (testatur *Quinctilianus*) *quin si nocentes mutari in bonam mentem aliquomodo possint, sicut posse interdum conceditur, salvos esse eos magis è Republica sit, quam puniri.* Apud nos præsertim, qui ad Limites infidelium ac barbarorum, nobis verò nimiùm infestorum consistimus, si semper caput pro capite exigeretur, plures eorum ad Ethnicos aut hostes nostros fugerent, & Patriæ desperatîs incursionibûs nocerent. In comperto habemus, quid apud Italos Banditi faciant, quinimò præstò sunt domestica exempla præcipuè dum tales severitates in potentiores attentavimus.

Ostenditur a Libertate Polona non foveri Hæreses.

24. Quam magnum Religionis Catholicæ apud nos fuerat prætium, quam fervens circa conservationem ipsius Zelus, evidenter patet, quando circa prima statim fidei Sanctæ initia terribili Dei vivi Sacrificio assistentes Majores nostri, ad lectionem Evangelij gladios evaginabant in signum, quod pro defensione veritatis Catholicæ sangvinem & vitam fundere parati forent. Et quia non ignorabant, quod refractarium & pertinax malum est hæresis, faciliusq; excluditur, quam expellitur, ideo ubi primùm ex aliquo

angulo hæc virtulenta multorum Capitum Hydra vicinos invadere cæperat Penates, magna cum diligentia severissimarum Legum præsidium, ceu aheneum murum opponebant; Imprimis cum vicinos & cognatos nobis Bohemos Hussitici veneni infecisset pestilentia, illicò inclyti Poloni parietes suos, ne ab hæretico incendio in religione & pietate Catholica damnum paterentur, tam benè muniverunt, ut qui severas in Statuto nostro sub titulo *Hæretici* Leges inspexerit, qui generales *Vielunensem*, *& Korczynensem* sub Annis 1424. & 1438. omnium Regni Statuum contra quasvis hæreses jurejurando obstrictas Confœderationes in eodem Statuto legerit, ubi pœna *infamiæ*, *colli*, *confiscationis bonorum* in hæreticos & fautores eorum, si quando in Polonia reperirentur sancita est fateri debebit, quod nullum unquam Concilium severiùs Hæresim fulminaverit, nulla in Orbe gens contra capitalissimos hostes tam fortiter ac rigidè consurrexerit, quàm Antecessores nostri, qui nec fraterno parcendo sangvini hæreticam à Limitibus suis propulsabant perfidiam. Et quamdiù in Regibus Dominis nostris Catholicus non deferbuit Żelus, tamdiu hæc infernalis Mægera vix à longè torvô oculô spectare Poloniam ausa est. Quam primùm verò ipsa hæc Capita aliquatenus langvere cæperant, & salutares succos in subjecta membra depluere neglexerant, statim virulenta hæreticæ pestilentiæ in reliquo Reipublicæ Corpore multiplicata sunt ulcera, quæ regnante Augusto I. maximè, in contagiosum excreverunt tumorem. Ille etenim inter fœminarum greges à Matre ultra pubertatem educatus, uti ad licentiosiorem vitam propensior, ita quoq; ad colendam Catholicam Religionem fuit remissior, ac quod maximùm addictior scientijs curiosis, libenter præstigiatores ac Necromantes ad se admittebat, in quo quia exteri præcellebant, undiq; hujus artis ad illum

illum confluebant Magistri, & una varias hæreses secum allatas, in Polonia invalido jam pro re Catholica Legum auxilio, disseminabant. Adjutorio ipsis fuêre sæcularium contra Spirituales simultates & odia, illi etenim ut possent Spiritualibus æmulos opponere, ultrò extraneos accersebant hujus pestilentiæ propagatores; intereà ex sæcularibus primùm aliqui, demum ex Spiritualibus certatim ceu ad offam, non tàm ad conscientiæ, quàm ad carnis libertatem convolabant. Alij in vicinia cum Germanis existentes, ardente proximô Ucalegone, ipsi quoq; hæreticæ pravitatis incendium non evitârunt. Juventus deniq; Polona ætatis vitio ad licentiam, quô omnis hæresis animos inescat, prona, ex peregrinationibus exteris raro absq; hac corruptela redibat. Undè tantum hæc pestis totum Reipublicæ corpus corruperat, ut post mortem Augusti I. mirata sit Polonia se esse hæreticam.

25. Per decessum hujus Regis, regnatrix Jagellonica virilis linea defecit, & uti ea res Polonis à centum quinquaginta annis non evenit, ita & illud Interregnum fuit formidolosum, præcipuè quia aliqua Reipublicæ membra, nempè Prussiæ, Lithvaniæ ac Russiæ Ducatus adhuc non tam perfectè in unum Reipublicæ corpus coaluerunt, ut distrahi & dissolvi illis in circumstantijs facilè non possint. Ideò in Convocatione Varsaviensi, majori, quàm olim sollicitudine inprimis securitati ab extra & ab intra contra quævis Reipublicæ imminentia pericula provisum est, tempore demùm, locô modôq; Electionis novi Principis constitutô, jam majore ex parte Catholici ad propria discesserant; Hæretici verò ex condictô protractô Convocationis actu, illum pelle lupinâ subsuerunt, id est titulo Confœderationis & prætextu pacis publicæ inter Cives conservandæ, sub Nomine & authoritate totius Convocationis ini-

inierunt fœdus, cui multa bona Reipublicæ salubria, unanimiter ab omnibus in Comitijs Convocationis sancita inseruerunt, ut sub hoc dulci melle suum venenum svaviùs propinarent; Hinc immiscuerunt ceu adulterinum numisma articulum de pace diffidentium in religione Christiana ut liberum sit, unicuiq; in Polonia ceu Lupo in caprum, vel in agnum credere, & ut antiqua contra hæreticos Jura ac juramento firmatæ omnium Reipublicæ Ordinum Confœderationes, vigore hujus Novi Testamenti tollerentur. Quod verò hanc Confœderationem peractâ jam Convocatione fecerint, testium locô sunt universalia ad omnia Acta Castrensia missa: in quibus quæ unanimi consensu conclusa sunt à Convocatione, prodierunt sub data 22. Januarij: hæc vero Confœderatio sexta post die nata est sub data 28. ejusdem; ad cujus assensum frigidos primùm Catholicos Varsaviæ remanentes, subdolis persvasionibûs induxerunt, ab alijs demum metu, internæq; perturbationis comminatione facilè signaturam extorserunt; Liquet iste metus in subscriptionibus, quibus aliqui adjunxerunt: *Subscribo propter bonum pacis.*

26. Ast opposuerunt se statim huic subreptitio articulo, & protestationem quam Officiales hæretici Varsaviæ ad Acta suscipere recusârunt, solenniter fecerunt Sochaczoviæ *feriâ tertiâ post Dominicam Quinquagesimæ Annô* 1573. Jacobus Uchanski Primas, Adamus Konarski Posnaniensis, Petrus Myszkowski Plocensis, Adalbertus Starozrzebski Chelmensis Episcopi cum alijs pluribus Catholicis. Idem fecerunt alij quoq; Catholici in Palatinatibus præsertim Masoviæ, Plocensi, Ravensi, Podlachiæ. Expost in Electione Henrici Regis hæretici eandem lupinam pellem ostentârunt, ubi præparati ad majorem audaciam non solum hanc suam Confœderationem propugnabant, sed etiam per vim, juramen-

ramenti rotæ futuro Regi intruſerunt articulum de Libertate religionis conſervanda. Aſſero, quod *per vim fecerint*; quia non tantum totus Spiritualis Status, ſed inſuper Nuntij Terreſtres plurimi, ipſiq; ſuprà enumerati Palatinatus in contra proteſtati ſunt coram Actis. Inter quas digna eſt diligenti ac ſedula conſideratione à Palatinatu Maſoviæ facta Manifeſtatio; in qua enitet proborum Maſovitarum fervens ac conſtans ſemper antiquæ Religionis Catholicæ Zelus. Alij quoq; Catholici Spirituales & ſæculares nunquam intermiſerunt liberam contradictionem huic hæreticæ violentiæ opponere. Pariſijs enim ad Henricum Electum Legati Catholici Adamus Konarſki Epiſcopus Poſnanienſis, Adalbertus Laſki Palatinus Siradienſis, Nicolaus Chriſtophorus Princeps Radivilius, Mareſchalcus Curiæ M. D. Lithvaniæ ſuô & reliquorum in Polonia Catholicorum nomine porrexerunt Henrico, cum ad præſtandum jusjurandum accederet, contra illum articulum juramento intruſum, proteſtationem, quam quod ille acceptaverit, & hanc in rem Legatis Diploma Pariſijs dederit, liquet ex Annalibus. In Comitijs etiam Coronationis ejuſdem Henrici uti & in alijs Electionibus ac Coronationibus poſt illum ſuccedentium Regum, Ordo Spiritualis totus, & non pauci Senatorum ac Nobilium Catholicorum ſolenni formâ ſemper proteſtabantur & pro teſtantur, quod huic Libertati religionis non aſſentiebant unquàm, neq; aſſentiunt. Inſpiciat qui voluerit ipſa ſuffragia & ſubſcriptiones Regiarum Electionum, ſatis longum cernet catalogum eorum, qui hunc articulum nominatím expungunt.

27. Contigit mihi haud ſemel non tantum ab Hæreticis, ſed etiam à Catholicis Statum Libertatis minùs penetrantibus audire, quod is de Libertate Religionis articulus in Polonia jam vim Legis contrariæ antiquis contra Hæ-

Nieważność Prot.

reticos Statutis obtineat. Quod dum asserunt, semet ipsos produnt, aut Statûs Reipublicæ ignaros, aut propriæ Libertatis infensissimos hostes. Integritas enim Libertatis nostræ principalitèr in eo consistit, ne aut Rex, aut alter quispiam quidquàm tale, quod præsertim vim perpetuæ Legis sapiat, contra nos, sine nobis sancire possit: penes quod aliter sustineri nequimus, quám opposito liberæ contradictionis intercedendi Jure, quod quam primùm labefactari ac enervari permittemus, extunc simul sub pileo Libertatis incipiemus portare rasuram servitutis. Progenitores nostri, qui nobis hunc pretiosum, quia non semel sangvine redemptum unionem Libertatis de manu in manum tradiderunt, sub tutela liberæ contradictionis velut sub fortissimo præsidio illum servari voluerunt, & ideò firmiter caverunt Lege, *ut nihil unquàm vim Legis obtineat, ad quod unanimis omnium Reipublicæ Ordinum non accedat consensus.* Proindè quicunq; liberæ contradictionis præsidium vult lædere, ipsam Libertatis pupillam imò vitalem succum, & veluti humidum radicale illi conatur auferre. Exindè provenit, quod prudentiores, ac naturam Libertatis suæ penetrantes Cives malunt frequenter, satiùs non levia in publicis præsertim Patriæ Consultationibus, per ruptionem, aut moram & tricas Comitiorum sufferre incommoda, quam Juris intercedendi & vetandi potestatem etiam tantillùm lædere: Nôrunt enim, liberam vetandi vocem liberæ Genti inhibere, nihil aliud esse, quàm Spiritum Libertatis præfocare: Ac proinde ij, qui articulum hunc obstantibûs tòt publicis legitimis contradictionibûs volunt computare inter Patrias Leges, aut sunt communis Libertatis hostes, aut nesciunt, quid faciant, & dicant.

28. Ast objiciet aliquis: Certum quidem, quod intercesserint, ac intercedunt aliquorum in contra

tra protestationes, verùm quælibet protestatio est *actus Juris*. Hinc ut alia omnia, ita protestationes finem sortiuntur, dum Decretô tolluntur. Sublatæ vero sunt illæ protestationes Decreto. Juramentorum Regiorum, quô hunc articulum de Libertate Religionis confirmârunt, ac ei vim Legis attribuerunt; Reges siquidem Jurejurando nihil aliud nobis conservaturos se spondent, quam Leges. Sublatum èst quoq; Decreto Legis Regni in perpetuum jubente, ut Reges non aliâ formâ juramenti nisi eâ, quam explevit Rex Henricus, obstringerentur, in qua exprimitur hæc etiam de Libertate Religionis cautela. Abrogatæ sunt adextremum Decretô totius Reipublicæ, dum sub tempus Interregni in generalibus & Provincialibus Judicijs *Kaptury* vulgò dictis, tum in Comitijs, per Constitutiones Articulus de Libertate religionis cautus est, & firmatus. Proindè dictæ protestationes his sancitis Reipublicæ cedere debent.

29. Ad hæc repono: aliam esse naturam illarum protestationum, quas privatæ personæ litigantes, nullum Jus potestativum aut decretivum in foro judiciario habentes, contra personas & acta illarum, in rebus controversis à suo consensu & arbitrio non dependentibus faciunt. Ejusmodi protestationes quia in se nil ultra continent, quam querelas & prætensiones injuriæ cognitioni & decisioni Judicum subjectæ, tolluntur, ac finem accipiunt à Decretis Judicialibus Alia verò est natura earum potestationum, quæ à personis publicis in foro Reipublicæ jus potestativum decernendi & vetandi habentibus, in rebus à suo quoq; consensu dependentibus, & quidem tali dependentiâ, quod juxta Leges unô contradicente nihil legitimè concludi, & decerni potest ab omnibus fiunt. Tales inquam protestationes nec quodvis Juramentum *Regium*, nec ullum Decretum, nec ut vulgo dicitur *Kaptur*, nec constitutiones nisi consentiente contra-

dictore tollere possunt, præter unicam tyrannidem, idq; mutatô priùs præsenti Reipublicæ statu, sublatis Juribûs cardinalibus Libertatis, & ademptô ipsi firmissimo præsidio, in libero vetandi & contradicendi jure consistente. Imò qui Rempublicam ac Leges, quibus illa innititur, benè penetrat, potiùs affirmabit, quod tales protestationes à personis legitimum jus vetandi habentibus interpositæ, qualiacunq; Decreta, stante hâc eorum contradictione, annihilare debeant, & defacto annihilent. Detur enim mihi ratio disparitatis, cur facta ab uno terrestri Nuntio in Comitijs contra activitatem illorum protestatio, tamdiù in publicis Reipublicæ consultationibus sancienda sistat, quousq; contradicens ab ea non resilierit. Si verò circa illam mordicùs perstiterit, uti ipsa Comitia, ita & alia quamvis concorditer conclusa irrita fiunt. Nec ipsa Comitia possunt abrogare Decreto suo ejus protestationem, nisi voluerint cum jure vetandi liberam vocem, & unà cum ipsa Libertatem tollere.

30. Dicet quis ultra. Quam ergo vim Articulus de pace Dissidentium in Religione juramentis Regijs, Convocationibus Regni & Constitutionibus Comitiorum firmatus in se continebit, si ipsi vim Legis non attribuis? Respondeo: Iste articulus est per modum Literarum salvi Conductûs hæreticis à Republica datarum, ut contra ipsos pœnæ Jagellonicarum Legum, quæ illos sanciunt esse infames & proscriptos, non extendantur, sed earum executio interim suspendatur, ita tamen, ut Leges interea antiquæ contra hæreticos latæ in suo robore permaneant. Et hoc est, quod ipsis cavent tam generales, quam particulares sub Interegnis factæ Confœderationes, quæ inter alias rationes ideò justè vocari possunt *Kaptur*, seu Caputium, quia eos ab hac inclementia Legum, ceu à violenta aliqua pluvia aut grandine

dine contegunt. Idem ſonant lege firmata Juramenta Regia. Perſpectam equidem habuit Rempublicam & Leges ejus Magnus ille Cancellarius Oſſolinſki, attamen ad Urbanum VIII. à Vladiſlao Rege & à Gente noſtra exiſtens Legatus in illo Orbis theatro ſcilicèt Romæ perorando, inde virtutem noſtram Polonam ſic deprædicabat: *Nulla è Polonia Hæreſis, nullum Schiſma, & ſi qui vicinarum gentium peſte afflati, acerrimò Legum ſupplicio & infamiæ perpetuæ nota à reliquo Nobilitatis corpore reÿciuntur. Si quis Legem à Vladiſlao Jagellone latam totius Nobilitatis conſenſu firmatam legerit, fatebitur nullius Concilÿ anathema hæreſim acriùs perſtrinxiſſe. Et quamvis iniquitati temporum amoriq; conſangvineo indulſiſſe videmur, non tamen abrogari Legem paſſi ſumus, nec patiemur, teſtaturi, poſteritati nos Legum Patriæq; ſalutem unius Religionis integritate firmare.* Sit proinde quili et Catholicus Polonus informatus, quod hâc noſtrâ moderatione, & quaſi fraternâ indulgentia uſi ſumus, ne remedijs malum exaſperaremus, cui tollendo impares eramus. Attamen quod non jugulavimus, nec expunximus ſed tantum reſtrinximus aliquatenùs antiquas contra hæreticos Leges, Ariani ſunt exemplo, quos, negato illis hoc ſalvo conductu, rigori earum ſeveritatiq; addiximus.

31. Non ſit ſcandalo hæreticis, quod &ſi, ſemper & ubiq;, quam primum is Articulus de Libertate Religionis inter fraudes & conjunctiones hæreticas pullulavit, in oppoſitionẽ cũ libero intercedẽdi Jure cõparuimꝰ ac cõparemꝰ, C omitia tamen non rumpimus, nec bello civili & ſeditionibus, prout ipſi faciunt, terremus, quia id Nobis modeſtia Catholica & charitas Patriæ vetat; Concedimus id ejus amori declinando Conſpirationes & tumultus hæreticos, huncq; Lupinum centonem, quem illi primæ Convocationi

vulgo Kaptur post mortem Augusti I. affuerant, non diffu-imus violenter; Qui tamen gratiâ Altissimi per se jam attritus est, ipsaq; antiquitate exesus, ut vix reliquiæ in Polonia idq; inter simplices Plebeios, advenarum cætus, aut tenuiores Nobiles appareant. Et hoc est non exiguum miraculum fermè in Polonia, quod &si pestilentia hæretica jam fère totum Reipublicæ Corpus affecerat, *fides tamen Catholica licèt in tanta credendi pro suo velle licentia nihilo deterior* (ut inquit *Anonymus* Polonus) *permansit, non Jura Ecclesiæ sublata, non honor Sacerdotij à Majoribus nostris inter prima Reipublicæ subsellia admissi imminutus, non altarium, Templorumq; usq; ad prodigam Libertatem splendor extinctus. Hic certè auream se esse probavit Polonia, quæ ex incendio hoc processit illustrior, Hæresi cinere & fumô relictis, undè hodieq; dicat: Caput meum doleo. Hic Catholica Religio ab ipso Christiani Nominis exortu tot Legibus atq; Privilegijs firmata, ac velut materfamilias quædam effecta à nova hac & nuper adventitia noverca Hæresi nullo modo sua firma possessione potuit, potestq; exturbari. Quod alibi cruentæ non valent præstare Inquisitiones, hoc in Polonia vel ipsa evincit tolerantia. Videmus nullâ vi adhibitâ tot templa restituta, gaudemus Catholicam pietatem insigniter auctam, hæresim ab omni jam ferè, quæ majoris est notæ, nobilitate abjectam; Sanè sapienter ac verè quispiam dixerat Poloniam esse quendam Heliconem Catholicum, ad quem hæresum viperæ veniunt posituræ venenum; Ubi Catholicæ nobilitatis fervor æquat curam Antistitum, cum sæpè privatim ac publicè centuriatis præsertim Tributisq; Comitijs Senatus Populusq; Polonus magis pro avita Religione adversus suos Concives hæresi afflatos, quàm communi Patriæ salute decertat &c.* 32.

32. Deficeret non tantum folium, aſt tempus quoq;, ſi omnia acerrimi pro re Catholica & Eccleſiaſtica Zeli in Polonis noſtris recenſeri deberent exempla. Antiquiora in parte jam ſunt memorata, recentiora recenſebo: primum ſit, quod mihi ſuggerit anonymus quidam Polonus in Lib: ſub tit: *Bonus Patriæ Civis* edito, ajens. *Eximium id Catholicæ Religionis in Polonis arguit Zelum, quod Stephano regnante accidit; Rigam ille Poloni tunc Juris Principem in Livonia Urbem ingreſſus, in qua hæretici omnia Catholicorum templa occupaverant, inito cum Catholicis ad latus ſuum tunc præſentibus conſilio, tam Senatoribus & Nobilibus hæreticis, quam Civitatis Magiſtratui eadem peſte affecto nuntiari juſſit, ſe cum ſuis Catholicis non priùs cibum ullum guſtaturum, quam in reddito ſibi uno ex occupatis templo Miſſam Catholico ritu audiverit: Tenuit hæc inter Regem & Magiſtratum, cæteroſq; Polonos hæreticos controverſia majorem diei partem, tandem pia Regis Catholicorumq; Polonorum pertinacia evicit, ut Magnificum S. Jacobi templum horâ poſt meridiem quartâ ſibi redderetur. Ubi audito ſolenni Sacro, collocatiſq; ibidem acerrimis Orthodoxæ fidei propugnatoribus Jeſuitis, dum veſpere jam pranderet ad Proceres ſuos majori parte Hæreticos converſus, nemo (inquit) ab orbe condito felicius unquàm ſolenniuſq; prandij cum cæna nuptias celebravit, ut mihi hodie cum meis contigit Catholicis. Muſicos itaq; concentus, choreaſq;, ut in Nuptiali ſolet fieri apparatu, magnâ animi ſui, Catholicorumq; lætitiâ, ingenti verò hæreticorum mærore inſtitui celebrariq; juſſit.*

33. Annò 1666. in Comitijs ruptis Varſaviæ Legatus quidam ex Palatinatu Maſoviæ hoc ſtylô, qui eſt ex Literis protunc Poſnaniam directis excerptus in facie Rei-

publi-

publicæ in Senatu pro re Catholica peroravit: *Jam hodie Serenissime Clementissimeq; Rex sex septimanæ Comitijs nostris præscriptæ finiuntur, & nihil adhuc boni statuimus; haud pauca sunt, pro quibus pœnam meremur Dei, ast super omnia fortassis ira Dei contra nos exindè contracta, quod in hoc loco, ubi bono & integritati prospiciendum erat, Majestas ipsius graviter offensa non pridem est. Recenti inhæret memoriæ nostræ, prout Serenitas Vestra Legato Svetico ad latus suum existenti, concessit publicum impietatis hæreticæ exercitium, idq; cum insolitis & probrosis Catholicæ religioni solemnitatibus, jubendo hunc consensum suum in foro Varsaviensi publicare, extradito cum subscriptione Manûs Regiæ & Sigillo, Diplomate; quod quia contravenit Legibus nostris Masoviticis, suppliciter rogamus Sacram Regiam Majestatem Vestram, ut nobis id conservet in posterùm, ad quod sese jurejurando obstrinxit, nec auferat id, quod nobis non dedit. Obtestamur quoq; Reverendissimos Episcopos, ne pro officio muneris Pastoralis, ejusmodi fidei Sanctæ præjudicium in posterum saltim, sub oculis suis permittant. Religiosum enim Antecessorum Nostrorum institutum non alià intentione primas Reipublcæ partes vobis commisit, nisi dumtaxat, ut in hac altiori specula positi integritati fidei Sacrarumq; Ecclesiarum DEI, singulari Zelo invigiletis: Nam quod concernit curas Statûs nostri politici, nosmet ipsi absq; Statu Spirituali sufficientes haberemus sustinendo huic oneri lacertos.*

34. Ante aliquot decades Annorum in Comitiolis Proszoviensibus *Stanislaus Petrykowski* pro re Catholica inter alia ita zelabat: *Non minùs etiam me id quoq; perculit, quod frequentia, ac insuper amplioribus elogijs one-*

onerata vota Vestrarum Dominationum tam honoratâ functione eos dignantur, qui à nobis ut in fundamento religionis, ita etiam certè amicæ voluntatis dissident, non eò collimo, ut aliquem errorem in prudentissimis vestris notem designationibus: Dominis quoq; dissidentibus sufficientem ad ejusmodi functiones capacitatem haud adimo: id tantum cum Romano inculco Politico: Pudeat Quirites, (ego dico, pudeat Polonos) à bonis etiam alienis Dijs opem exposcere, cum sui non desint aque boni. Jamne is apud nos defectus est Virorum, ut inter centenos Catholicos Nobiles ad eam functionem aptos habere non possimus, quales inter aliquot Dissidentes quærimus? &c.

In Electione feliciter nobis Dominantis Regis Masovita quidam insistens contra hæreticos in Stuba Nuntiorum *lupos* illos nominaverat: Efferbuit quidam hæreticus, dicens: *qui nos lupos asserit, nos illum vocabimus canem.* Ad hæc reposuit Masovita: *Non de Mazovitis id, sed de talibus, quales vos estis hæreticis dictum: Nolite sanctum dare canibus; haud tamen erubescimus esse canes contra tales lupos, quales vos estis.*

In eadem Electione Mareschalcus Stubæ Nuntiorum ad exorbitantias designaverat inter alios unum ex Magnatibus Calvinistam, cui designationi plurimi Catholici præsertim Masovitæ magno fremitu reclamârunt. Et dum Mareschalcus in proposito perstabat, inclamavit quidam ex præsentibus Masovita: *Domine Mareschalce expunge ipsũ ex hoc Cathalogo calamô, quia nos pici intinctîs digitîs hunc hæreticum expungemus.* Rodant proindè suam crassam adeò calumniam lividô dente, quem contra nos exacuerunt Libertatis nostræ hostes, discantq; *ab Antonio Spinello* Veneto Historiographo: *Religionem Catholicam*

apud Polonos esse gemmam pretiosissimam, aureo Libertatis & pietatis Zelo inclusam.

Ostenditur vitio Libertatis Polonæ non ita, ut hostes nostri volunt, pessundari Consilia publica.

35. Quod apud nos ex abusu Libertatis ut in alios publicos Actus, ita præcipuè in consilia & Comitia, non parva deriventur incommoda, hoc inficiari, aut amoliri à nobis haud possumus. Amitteret ille etenim non tantùm intellectum, sed sensum quoq;, qui in Consultationibus nostris hoc, quod Rempublicam quandoq; ad gravia deducit pericula, agnoscere nolit malum. Plurimorum hac de re sunt justæ querelæ dignorum Virorum sive scriptò, sive voce expressæ, multorum censuræ & sinistræ sermocinationes; cernunt etenim disordinem, discordiam, animositates, venales aut obstinatas sine reflexione & ratione contradictiones, ruptiones, aut in longum tempus sub quali tali prætextu protractiones, & pro interesse privato impedimenta Comitiorum & his similes ferè parricidales ingratorum filiorum erga Matrem Patriam conatus. *Publica* (inquit *Joannes Krasinski in alloquio ad Equites Polonos*) *in Comitijs præsertim generalibus apud nos peragi solita consilia dignissimus Vir Joannes Zamoyski oculum ad aureum hoc Libertatis imò felicitatis nostræ Vellus Colchico dracone meliùs excubantem scitissime apellavit. At quibus hanc pupillam quibus & qualibus hoc plus quam aureum, quia non per marium tractus, verùm per sangvinis æquor à Majoribus nostris advectum Libertatis vellus credimus? Quam pessimè tunc cum re Libertateq; nostra agitur, quando ab hominibus nullius frugi, & projectæ conscientiæ, nullius scientiæ & judicij in gravissimo illo Consiliorum Theatro tractatur, levissi-*

levissimè quandoq; in manus eorum deponitur, quibus vel cum lingva omnia venalia, vel cum imperitia omnia perdita, vel cum conscientia omnia etiam sordidissima honesta sunt.

36. *Attamen licèt deliberationes Nuntiorum in strepitu* (dixit olim in Comitijs *Cancellarius Ossolinius*) *& quasi tumultuarie Consilia Comitiorum peragant non ideo per centum Annos ab ejusmodi incommodis aliquod Patria experta est detrimentum, imo in Libertate sua multipliciter effloruit &c. Libertas nostra* (dixit alter haud contemnendæ Authoritatis *Senator* in Comitijs) *ut ab hominum conditione excipi nequit, ita quoq; cognata hominibus vitia pati debet. Diffiteri haud possumus, quia ipsi bene sentimus, quod malignum quiddam inest Libertati, quæ cum una parte beatos reddat suos possessores, alterà molestius sæpe vexat perturbatq;. Non sine speciali in qualitates & naturam Libertatis respectu Poeta æquiparavit illam aquæ fluviali.*

Instar mobilis undæ
Aggere quam posito dominans vis nulla coërcet,
Labitur atq; tumens vario cum murmure fertur
Libertas populi.

Aliæ gentes, quibus servitus potestate Dominantium altos exstruxit aggeres, quia sunt constrictæ, ceu aquæ in Stagnis quietè subsistere ac tacere coguntur, Libertatem suam, quam illis naturæ rationalis appetitus ceu ventus in stagno fluctus subindè commovet, ad severitatem imperantium ceu ad littora aut fruticeta circa aggerem refringendo. Nostra verò Libertas quia aggerem servitutis non patitur, habet equidem hoc incommodum, quod more fluminum non semel licentiùs exundet, nunquam sine murmu-

re dissensionum & discordiarum Civilium defluat, alveos transmutando ordinem bonum destruat, ac his similia mala quà publicè, quà privatim adferat. Unum nostrum vero quibus non sæpe difficultatibus & molestijs implicat? adeò, ut quidam exterus illud *Purgatorium Poloniæ* vocaverit. Malumus nihilominùs quamvis tam asperum nobis adeò, nocivumq; ex parte, hoc Libertatis sufferre purgatoriũ, quàm cum alijs ad infernũ despoticæ servitutis de enire.

37. Non negandum est, quod prout ubiq;, ita præsertim in Comitijs nostris loquamur liberè. *Libera* siquidem *Populorum lingva integræ adhuc Libertatis index est*, dixit olim *Sparthanus Esturio*. Verùm, quod cuncta nemine reclamante concludamus: ex quo enim Reipublicæ nostræ corpus per naturam Libertatis nequit ita, ut cætera animari uno spiritu, necesse est, ut saltim unô & concordi omnium animetur. Non placet nobis aut Veneta, aut quævis alia liberarum gentium in concludendo pluralitas, hæc enim ideo apud illos succedit, quia ibi (ut loquitur Leopoliensis Castellanus *Frèdro*) *abest animorum & Libertatis corruptor. Nam seu Monarchas Regnorum respicias, non est quod illi in suis Dominijs circa Libertatem corrumpant, neq; est periculum, ut pejorum Civium contra pauciores utantur pluralitate, cum omnia pro libitu agant ipsi. Seu Venetorum Rempublicam in argumentum rei opponas, etiam illic fateberis abesse corrumpendæ Libertatis venena ab ea potestate Principis quæ parva est: cum ille solo fere nomine sit Princeps, re ipsa, verè primus Senator, primus Patricius, primus Reipublicæ Civis; Nobis verè Polonis majoris Authoritatis, titulorum & potentiæ sunt Reges, quibus divisa licèt cum Republica jubendi consulendiq; potestas inest, Majestas tamen alia; tituli verò, honores, & be-*

nè

nè meritorum præmia in manu & arbitrio illorum sunt, non levis animorum captio, & corrumpendæ pluralitatis modus. &c. Valdè est affinis Libertas liberalitati, proinde sicubi, certè in Polonia facilè illi cederet. Verùm, quod Legati Terrestres in Comitijs habeant, subinde inter se *turbantes Jura Tribunos*; ut ut res se habeat, attamen haud dubiè certum est, quod penes illos consistat principalis custodia Libertatis. Simile quid faceret, si illis jus vetandi quis vellet circumscribere, quod fecerunt Lupi Esopici, qui omnia damna & incommoda ovium in custodientes gregem devolvendo canes, svaserunt Pastoribus, ut propter pacem cum lupis, propriumq; bonum, illos à se removerent, aut saltem tam audacter contra Lupos insurgere, ac libere mordere interdicerent.

38. Certum est apud nos res primò intuitu modicas maximi momenti consilia Reipublicæ sistere adeò, ut memoriâ retineam unius in hac parte Judicium, qui dixit: *In Comitijs & Comitiolis nostris frequenter ceu Calendaria scribimus, dum de rebus levissimi momenti tam longas contentiones, tam obstinatas exerimus contradictiones.* Ast hic quoq; opus est meminisse unius Atheniensis Senatoris cautionem: *Nihil etiam ex minimis parum est, unde magnæ ruinæ periculum timeri potest.* Nullius considerationis est, quod volucri pluma deciderit, ast concedamus frequenter Aquilæ nostræ pennas eripi, experiemur brevi, quod nonnisi pedes ibit, quæ in optata Libertate feliciter volat. Parva res est pilum ex capite amittere, permittamus solummodò ex hoc aureo Libertatis nostræ vellere pilos per unum evellere, brevi ita, uti vicini nostri ad calvam servitutis rasuram deveniemus. Ut loquar ad propositum: Modicum est unum minutum comparatum tempori mutuum Cælestium, & tamen id in Ca-

lendario haud mediocrem alterationem induxit; quia enim decem minuta unicuiq; Anno accrescebant, quæ minùs apprehendebat Ecclesia, æquinoctia per aliquot sæcula decem diebus, à motu vero Cælorum retrocesserunt. Et si duraturus esset Orbis quatuor mille quingentis Annis, eveniret, quod juxta antiqvum Calendarium in Septembri Pascha celebraretur. Nullus proindè circa ejusmodi minutias in Comitijs & Comitiolis nimiam sollicitudinem nostram existimet non necessariam, quia aliàs magnum in Calendario Libertatis errorem committeremus. Romani nihil adeo, quod vel levissimam lædendæ Libertatis suspicionem pareret, parvi pendebant, ut in primis Consulibus, qui Libertatis ipsorum primi assertores & Parentes fuerant, levissimas res idq; non sine tumultu tolerare haud possent. Lucius enim Collatinus eo ipso, quia inter alia agnomina vocari voluit Tarquinius coactus est se Magistratu abdicare & Urbe exulare; Publius pariter Valerius quia sibi Domum cum altiori supra alios tecto, ac in colle erexerat, non prius tumultuantem contra se plebem placavit, quam ædificium depresserit, & aliò transtulerit. Hinc crediderim, quod non tam superstitionem quandam exercebant iidem Romani, quàm non inutile liberis gentibus monitum potiùs exprimebant, dum in primo statim Libertati Deæ erecto Sacrario *certos custodes* (inquit *Rosinus*) *constituerunt, ut post singulos, qui præteriissent, scopis pavimentum repurgarent, ne vel minimi adhærerent pulvisculi*, quam Romanorum institutionem idem Author explicat adjectâ statim glossâ, *adeo à minimis etiam multum sibi timet Libertas*. Ex eadem forte ratione aliæ quoq; Liberæ Gentes *pupillam* vocant suam Libertatem, quia ut pupillæ etiam minima atomus, ita Libertati modica quoq; res notabile damnum inferre potest. Haud frustra doctæ Athenæ

olim

olim Libertatem in figura *Columbæ* depingebant, quia uti terretur minimo pennæ ſtridore columba, ita quoq; Libertas ceu timida columba etiam ipſam umbram ſervitutis ceu rapacem accipitrem timere debet. Si in alijs, maximè in præcautione Libertatis audiendus ille, qui olim Romanis inculcabat: *Prohibete ſcintillas, ſi conflagrari non vultis Quirites.*

39. Verum, quod Libertas frequenter non neceſſarias, imo noxias ſibi res expetit tanto conatu, & pertinaciâ, donec illi concedantur, id haud mirum, quia *illa eſt*, (ut quidam gravis Authoritatis Senator olim locutus eſt in Comitijs) *molliter educata puella liberæ gentis.* Ad extremum, verum id quoq; quod per naturam Liberi Status noſtri non poſſumus habere tam ſecreta, ut aliarum gentium ſunt, publica conſilia, quia in Polonia, & non in Balearibus manemus Inſulis, ubi Senatores dum Reipublicæ conſulere debebant, in campos ſecedebant, ubi effoſsâ foveâ, in eam inclinatas facies immergebant, ac ita vota ſua expediebant, poſt quæ illam foveam terrâ obruentes ſtatim, quaſi acta Conſilia ſua in ſecreto tumulabant. Non inclinat nos tam humiliter (ſint gratiæ Deo) ſervitus, omnis ex nobis liber eſt Polonus ac Sclavo.

Audax vel ipſo vivere publicus
In Sole Civis.

Quidquid facimus dicimuſq;, hæc omnia per campos imò per totum Orbem fama divulgat. *Carpant igitur ut volunt* (inquit *anonymus*) *reſumantq; iterùm, quæ in Libertatem noſtram vomuerunt ſcommata ſerviles animæ, nos vero id illis regerimus, quod quidam Cæſariam Legato olim regeſſiſſe fertur. Cracovienſem dum ille perluſtrat arcem, conclave illud, quod multis diverſæ for-*

mæ

mæ atq; figuræ plenum est capitibus, ingressus, sentiendi dissentiendiq; Polonorum Libertatem, ut perstringeret, capita hæc Varsaviam potiùs ad Aulam Nuntijs terrestribus designatam, utpotè dissensionum, discordiarumq; locum transferenda esse dixerat. Cui commode è Nobilitate unus: Malumus inquit discordia potiùs in Consilijs nostris spectare & pati capita Poloni, quam lingvas trabalibûs clavis furcæ afficax, quod in foro Viennensi non uni è Vestra Nobilitate, Proceribusq; factum esse scimus. Egregiè & *ille non obsimili Scommati par regessit Scomma: Comitia nostra Polona ita quispiam depicta velut in scena proposuerat Genuæ. Aula fuit perampla, in qua Rex cum suis Consiliarijs, Terrarumq; Nuntijs consederat: In uno ejus angulo velut à mercatore quodam erant disposita varia in varijs vasis cum designato pretio venales contradictiones; In altero fuerant dispositi varij falsi rumores, quos Provinciæ Polonæ disponebant, ut vel sic consultantium animos vel à privatis ad publica, vel à publicis ad privata pertraherent; In tertio erant exposita variæ variorum Zelo publici boni investitæ factiones; In quarto deniq; Libertas ipsa Leges authoritate Comitiorum latas in Librum ex telis aranearum compactum referebat. Spectaverat tunc hoc ludibrium quidam Polonus, & brevi post, ad columnam fori ejusmodi imaginem clàm exposuerat; aula similiter erat ampla, in cujus divisis partibus, Reges, qui absolutè dominantur singuli cum suis consultabant, in medio vero ejusdem aulæ fuit columna, ad quam singuli ex illis gentibus linguis clavis trabalibus affixi hærebant, tyrannis vero supra columnam considens, Leges à Regibus latas in librum ex humana pelle confectum referebat.*

40. Claudendo hunc suum de Consultationibus Poloniæ

niæ diſcurſum idem Polonus ait: Concludo verbis Serrani unius è Libertate Sparthana apud Plutarchum, ad hoſtes Libertatis noſtræ directis: *Odi ſervorum hoc genus, qui ut omnia ob annexum abuſus vitium damnant, vereor, ne oculos etiam, ſi nocivo aliquo humore obducantur, erui ab hominibus, & vel ipſum aërem, quem pleriq; malè ſpirant, exterminatum pulſumq; ab univerſo velint.*

Oſtenditur non eam eſſe Libertatem Polonam, ut per illam liceat Polonis quando & quomodo volunt, perire.

41. Hic jam calumniator Auguſtodunenſis ingurgitavit ſe venenoſis herbis Anticiræ Montis, *quæ* (ut teſtatur *Solinus*) *ad ejuſmodi amentiam deducunt, ut homines faciant in continuos riſus, jocos, & facetias effuſos ſemper inſanire*; Libertatem noſtram feſtiva lacerat inania maximum illius in hoc conſtituendo momentum, *quod penes nos ſit ut volumus, & dum volumus, perire. Nos vero gratiarum felicitatumq;* (ut de illa commentatur Homerus) *Theſaurariam, non pereundi licentiam experimur;* Quamvis nos periiſſe deſiderant ii, qui pridem ſuæ Libertati perierunt. Magnus ille & primus Romanæ Libertatis aſſertor Brutus *Libertatem* (dicit *Plutarchus*) *Comitem generoſi animi, parentem fortitudinis, incitamentum magnanimi pectoris affirmabat.* Haud fruſtra Romana ſuperſtitio vix natæ Libertati templum in *Campo Martio* veluti domum pro reſidentia Romæ exſtruxerat, ut fortaſſis à faſcijs ſtatim ad fortia & heroica aſſveſceret; cunctaſq; gentes liberas hoc axioma doceret: *fortiora agere, & pati pro Libertate, liberorum eſt.* Non vanè eandem Libertatem ſuam publico Senatûs populiq; Decreto jam adultiorem ſub *Marij Carboniſq;* conſulatu *Marti* iidem

Romani desponsârunt, ut fortè non alibi limites suos, quàm quò gladius ipsius pertingere poterit, præfigeret. Adscribat, qui vult fato, aut casui id, quod apud *Livium* lego, & hinc Libertatis Romanæ, quia in temeritate plebis ceu in stramineo fundamento constitit, ruinam deducat. Meo quidem sensu jam tunc non vanum exinde fuerat augurium istius fortitudinis, quæ supra alias liberas gentes extendi debuerat, quod stramen ipsum liberis in Tyberim projectum manibûs, in solidum & firmum fundamentum coaluerit.

42. Ex hoc fonte libertatis, in Republica Romana tot miracula fortitudinis, inde in alijs quoq; gentibus tot periculorum prodigia invictô propter libertatem superata animô, inde difficiles victoriæ, indè gloriosissimi Triumphi promanârunt. *Pulsis* (inquit historicus Romanus) *ex Urbe Regibus prima pro Libertate arma accepta*; *Nam Porsenna Rex Hetruscorum ingentibus copijs aderat, jamq; armis urgebat Romam*; *tunc illa Romanæ fortitudinis miracula. Quippe Horatius Cocles inter hostes undiq; instantes solus in Tyberim se dedit, ac ponte reciso ad suos iterùm tranavit, nec arma dimisit, illud in urgentes telîs hostes ingeminans*: *Servitia Regum superborum alienam Libertatem oppugnatum itis. Mutius, cui postea Scævola cognomen, Porsennam per insidias in ejus Castris aggreditur*; *cumq; frustraneo ictu alium pro Rege obtruncâsset, captus, & ad Regem perductus manum cum gladio ardenti foco immergens, seq; erroris castigans ut scias inquit, quam vile sit corpus ijs, quibus Libertas in pretio est. Nec unus ego hos animos gero*; *Longus post me est Ordo idem decus petentium*: *Trecenti liberæ Juventutis conjuravimus, ut in te hâc viâ grassaremur*. Samnites quamdiu Libertate floruerunt, tamdiu

diu Romanis licèt anguſtis Limitibûs coarctati formidabiles fuerunt; Quam primum vero Patriam Libertatem labefactârunt, & demùm amiſerunt, tam multum de priſca fortitudine remiſerunt, ut *qui antea binos Conſules* (ut eorum Legati coram Annibale apud Livium conquerebantur) *cum binis Exercitibus, Dictatores cum toto robore Romano vincerent, ac ignominiosè ſub jugum cogerent, demũ uni Legioni Romanæ ſufficere & reſiſtere nõ poſsēt*; Nõ tantum vero ingenua & generoſa, ſed abjecta & ſervilia quoq; pectora fermè Divina Libertatis flamma mirè & efficaciter ad heroica geſta incendit. *Grachus* (teſtatur hiſtoria) *cum Annibale conflicturus, ſervos, quos tunc urgente neceſſitate militare juſſerat, in concionem vocat, pronuntiatq;: qui caput occiſi à ſe hoſtis ſecum ex acie retuliſſet, Libertate, Civitateq; Romanâ donandum. Hinc talis in ſervilibus pectoribus conſecutus pugnandi ardor, ut totâ eâ nocte à tentorio Imperatoris non recederent, ſignum pugnæ quàm primùm dari depoſcentes, ac demum feliciter depugnarunt, viceruntq;.*

43. Prorſus evidens eſt hæc veritas, quam quidam Politicus ſcripto expreſſit: Milites in ſervilibus Imperijs fiunt, in liberis naſcuntur. Cujus aſſerti evidens documentum eſt noſtra Polonia, quid enim ad geſta & facinora heroica plus animi & audaciæ Anteceſſoribus noſtris inſpirabat, quàm Libertas, pectora illi ſua, capita & ſalutem in tot diſcrimina ſtrenuè ferebant, non tam pro gazis, quia frugalitate illius ſæculi contenti erant, non tam pro charis pignoribus, quia hæc & mancipijs cordi ſunt, & eſſe debent, non tam pro integritate & defenſione vitæ propriæ; optimè enim noverant, *quod cui naſci contigit, mori reſtat*; ſed libera gens pro Libertate ceu pro unione & corde Patriæ ſuæ cum varijs hoſtibus fortiter dimicabat, tu il-

lam de manu in manum Successoribus suis traderet. Reges insuper Domini nostri quo plùs Prædecessoribus nostris Jurium & Libertatum tribuebant, eò magis animis ipsorum ulteriorem fortitudinem, sibi verò victorias, heroicamq; famam adaugebant. Magnum Libertatis nostræ arcanum, colligo ex historia, quod *in Polonia olim nemini licebat rubro colore uti, præter solos Nobiles*; ac si Progenitores nostri succedenti posteritati id inculcare voluissent, *quod Nobilitaris Libertas ex vulnere & sangvine nata, sangvineum quoq; colorem audacibus fortibusq; filijs ceu incitamentum elegerit*. Simile quidpiam habet Libertas cum generosioribus animalibus, quæ dum sangvinem cernunt, vires & animum advocant, fortiusq; periculis resistunt. Discant proindè invidæ Libertati nostræ Gentes, quod ut alijs omnibus, ita specialiter nobis Polonis Libertas nostra non pereundi licentiam, sed fortiora agendi faciendiq; alacritatem conferat.

Ostenditur non eam esse Libertatem Polonam, ut per illam liceat Polonis sordidè habitare, & sine ordine vivere.

44. Fateri equidem debemus Poloni, quod ad *structurarum delicias minùs quam aliæ gentes intenti sumus*; *Attamen ita quoq; ducimus vitam* (ut loquitur *Lucas Opalinius in defensa Polonia*) *omni decore, omni honestate excultam, non quidem Sybaritica mollitie, omni tamen affluentiâ instructam, adeoq; ab alijs Nationibus seu morum, seu politiæ cultu non superamur, ut etiam sæpè multa in alijs requiramus. Quidquid apud exteros venustum & decorum est, repetitis peregrinationibus excerpsimus, & velut apes collegimus, utinam vero non vitia etiam, morbosq; animorum. Et ex his quidem nostro*

ſtro damnô non pauca ab exteris hauſimus, non tamen degeneravimus omninò in corruptos illorum mores; Imitamur omnium venuſtatem, abominamur levitatem, vanitatem, ſicubi nimiâ culturâ cum fœminis ineptiant.

45. De Gallis ſuis ſcripſit *Ludovicus Friſius: Hodie ita plerumq; inſtituuntur, quaſi ad ludum facti eſſent aut jocum, in veſtitu nihil modeſtum, aut grave, in ſermone nihil temperatum; tempus inter ſpeculum, pectinem & calamiſtrum occupati agunt; ſi quid diei ſupereſt, datur audiendæ exercendæq; hiſtrioniæ, ſaltui, aut pilæ ludo: ita tempus vitæ abſumunt digni profectò, quos Æacus poſt mortem jubeat cum Claudio aleâ ludere pertuſo fritillô, quod niſi bellis ſæpe occuparentur, certè otiô, & laſciviâ periret Gallia. In cute curanda nimis affectata juventus, veſtitum in dies planè mutat, nec illum ſolum, ſed Capillitium & barbam & hoc fortè male habet, quod non totam faciei formam, quanquam & hæc ſatis mutatur, ut quem hodie ſenem vidiſti, cras raſâ barbâ cum adſcito capillitio juvenem videas, ſæpeq; rideas atq; mireris, quæ Medæa iſtum tàm cito recoxiſſet? &c.* Itali ſub obtentu culturæ, à Græcis aliisq; gentibus mollitie contractâ quam longè jam pridem à priſca virtute & gravitate receſſerint, teſtatur Seneca: *torpent ingenia deſidioſæ juventutis, nec illius honeſtæ rei ſtudium vigilatur, cantandi, ſaltandiq; obſcæna ſtudia effœminatos tenent, Capillum frangere, mollitie corporis certare cum fœminis immundiſſimis, ſe excolere munditiis noſtrorum adoleſcentûm ſingulare ſpecimen eſt.* Ejuſmodi Urbanitatem & Culturam haud invidemus ulli genti; ſaltitare, geſticulari non diſcimus Nobiles Poloni, habemus namq; quà publicè, qua privatim alia gravia ſeriorum negotia, tum etiam oblectamentorum otia; hiſtrio-

niam cæteraſq; ineptias Italicis Gallicis, Germanicisq; Agyrtis relinquimus, ac alijs otiantibus ſegregatiſq; à publicis curis Exteris, ubi Regibus & Monarchis proficuum eſt illud Conſilium, quod olim dederat hiſtrio Romæ Auguſto Cæſari: *Expedit tibi Cæſar populum circa nos nugis, otiò diſtineri.* Aptè quidam ſerviles nationes non aliter ſibi repræſentabat, quàm *aviculam in cavea*, cui providentia humana ſervitutem eò condit, quod cavea pulchra, quod eſcam ſvavem, aliaſq; commoditates ei ſuppeditet. Saliant proindè hæ captivæ Acanthides in venuſtis adornatiſq; caveis ſuis, tripudient, jocentur, contra nos qui amænè per Campos Libertatis noſtræ volitamus, garriant, tamen ad ejuſmodi caveam, ſuæq; ſervitutis lenocinia fruſtrà allicere conabuntur. Malumus incultam in tugurio Libertatem Romuli, quàm ſuperbam in Palatio ſervitutem Tarquinij; charior nobis Libertas etiam in quiſquilijs, quàm ſervitus in auro.

46. In Civitatibꝰ quoq; Nobilitas Polona nō figit ſtationē: *Mercatoribus atq; Opificibus incolatum hunc* (inquit unus ex Polonicis) *relinquimus. Gens nempè libera non Urbium anguſtijs ſtringi, verùm ſub Jove libero & naſci & degere præelegit, cum præſertim prima hæc ſit libertatis prærogativa domum habuiſſe ad libitum, quæ minùs compta etiam gratior nobis eſt penes condimentum Libertatis; Nolumus hoc Urbico carcere velut generoſiores feræ caveâ domari & frangi; Nolumus ſocordia atq; deſidia otium conterere, verùm ſeria innocens & amæna nobis eſt Villana occupatio, nam aut œconomicis laboribus tempus tranſigitur, dum quiſq; ſuum Patrimonium diligenti induſtriâ excolit,*

neq;

neq; erubescit ruris negotia, quæ olim magnos cum Mario heroës obijsse accepimus gaudente sæpius terrâ vomere laureato & Triumphali agricola Curios Fabriciosq; ovantes novimus; Quinctios arantes & dictaturam inauentes; aut etiam venationi, quæ Liberalis planè & jucunda nobis in continuo usu est, indulgemus, aut lectioni aliquantùm damus, aut amicorum officijs, & mutuæ hospitalitati, aut deniq; solutæ curis edacibus, & procul negotijs positæ vitæ, ut prisca gens mortalium vacamus: hinc est, quod apud nos Nobilitas innocentior, juventus purior, hinc constans probitatis studium, mores priscæ integritati & modestiæ proximi, procul à depravationibus illis, & corruptelis, quibus plerumq; scatent animi gentium externarum. Sanior enim in Campo aura virtuti est, inter septa murorum inclusa putrescit. In Urbanis namq; cœtibus adfert quisq; seorsum suas culpas, quas mixti vulgant, ac velut compage tradunt invicem, capiuntq; morbos animorum; ut enim flumina per se dulcia salsescunt, cum in mare illabuntur, sic homines haud mali mixtione urbana inquinantur. Nihil veriùs dixit Hyppolitus apud Senecam:

Non alia magis est libera & vitio carens
Ritusq; melius vita quæ priscos colat,
Quàm quæ relictis mænibùs campos amat.

47 Indè provenit, quod apud nos Militiâ Nobilitas acrior, quia hos Annibales non effœminant Urbicæ deliciæ. Indè apud nos quamvis stante tàm amplâ Libertate hære-

fis

ſis nidum facere nequit in Statu Nobilitari, quia hæc peſtifera contagio non tam facilè per diſſitas Nobilitatis curias ſerpit, prout poſſet ſerpere in gravibus Populo Urbibus. Indè ipſa Libertas quietior & ſecurior, quia inter diſgregatos deſunt contagioſæ factiones, deſunt cœtûs turbæ. Id etiam Venetæ Libertati (ut conſiderat *Contarenus*) plurimum ad internam pacem juvat, quod &ſi in Civitate reſideant, attamen tali, quæ impletis aquâ Canalibus domus à domibus, plateas à plateis disjungendo occultas conferentias ac numeroſos cœtus arcet.

48 Diſordinem in negotijs Reipublicæ ideo nobis exprobrant, quia ipſi ſervitute imbuti naturam Libertatis ignorant. Audiant Tacitum Priſcorum Germanorum Libertatem deſcribentem, & inde diſcant: Non bene *Libertati cum exacto Ordine convenire, neq; alio magis gentes liberas, quam diſordine ordinatas eſſe ſolere.* Haud diffitemur etiã Poloniã ſtare diſordine, inſolitâ quidẽ apud alias gentes methodo, non exoticâ, nõ Gallicâ nõ Germanicâ &c. aſt noſtratim Polonica, imo acſi non humana, ſed potiùs cœleſtia ſunt confinia ſibi Nomina, *Polus & Polonus,* proindè etiam in rebus ſignificatis ſecum conveniunt, dum Ordo Polonus Cœleſti apprimè ſe accommodat; In Cœlo non omnes ſunt fixi, ſed etiam erratici Planetæ, qui Cœlum permeãt, ut errãtes jã ad ortũ, jã ad occasũ ſimul tendere videãtur. Attamen intra hunc ſuum diſordinem ſuperna Aſtra ordinatam valdè, & certè intellectu non aſſequendam Rempublicam exhibent, ortus occaſuſq; ſuos minimè mutant, & ſublunaribus rebus ſolita ſemper emetiuntur tempora. Si quis porrò expectet ſublunares, qui ab Aſtris procedunt effectus, mox querelas plurimas contra Cœleſtium ſphærarum confuſionem inaudiet, ille de frequentibus pluvijs, hic de ſiccis, torridiſq; Diebus, & alijs aeris incommodis incuſat Cœlum, & ſæ-

& sæpenumero stolidè insultat ipsi Altissimo. Verumtamen si profundiori indagatione naturam Libertatis, quam Deus causis secundis plenariam reliquit, consideraremus, si æternas ipsius rationes & fines, ad quos hæc omnia ordinata sunt, penetraremus, in tali cælestis Reipublicæ disordine magnum recognosceremus ordinem. Ita planè in nostra Republica, quia Libertas est apud eam instar naturæ, quamdiu ipsius ordinarium cursum violentia servitutis non sistet, tamdiu in disordinato ordine conservari debet.

49. Et planè si aliquis existimatum Cælestis Reipublicæ disordinem vellet corrigere, deberet primò vix non totam rerum Universitatem perturbare, imò ipsas rerum creatarum naturas immutare, ita si quis nostram quoq; disordinatam Libertatem vellet ad ordinem redigere, certè illam susdeq; everteret, ac pauco aut nihilo ipsi relicto, metamorphosim servitutis induceret. Talem quem spectamus in exteris ordinem non carpimus, rectè est constitutus, sed pro illis, non pro nobis; quia nobis tolleret libertatem, quâ nihil pretiosiùs, nihil chariùs habemus. Stamus tamen hoc disordine nostro æquè ac alij, qui circa regimen suum subtilissimis desudant ingenij distillationibus, & stabimus tamdiu, quousq; nobis discors inter Status Reipublicæ diffidentia armatam violentiam in negotia publica & præcipuè in Electiones Regum non inducet. Nullus alius disordo aut contentio, ast solùm is unicus turbo nos cum Libertate evertere, aut ad aliquod præcipitium servitutis protrudere potest. Si consonat veritati (ut literati affirmant) quod Deus semper sibi eligat aliquam nationem quam specialiori Providentiâ gubernet ac tueatur, nostræ certè id adscribi potest Poloniæ, quod illam solus Deus regat, ac mirabilibus benignæ Providentiæ suæ medijs à lapsu præservet. Per istum disordinem ac dissensionem nostram jam centiès pereundum

esset, nos tamen subsistimus & frequenter ignoramus, quomodo post gravem vix non ultimæ infelicitatis hyemem reflorescamꝰ.

Hoc Arcanum opitulationis Divinæ circa nos pulchræ involvit facetiæ in Satyra sua Opalinius, ac illam ita exposuit.

50. *Protegimur almâ dexterâ summi DEI*
Consvevit etenim Numen his uti modis
Ut servienti moris est vernæ; fremit,
Oppressus ille, truditur, tractos simul
Deflet capillos, seq́; defendit, gemit;
Tum Dominus altum risus vacans tacet,
Tandemq́; pueri concitus magno sono,
Tacete pueri clamet, ac illi procul statim
Fugiunt. Ita Deus sæpè Polonos videns
Lugere, ridet: postmodum quando nimis
Multumq́; cernit Lechiam nostram premi
Cessate, clamat: Tartari, Turcæ, manus
Hæc sola Domini, Lechiæ statum tenet.

Ostenditur per Libertatem non fieri in Polonia Paradisum Judæorum.

51. Ex quo capite Polonia esset Paradisus Judæorum, haud intelligo, nonnisi ex eo, quod impossibile sit, ut aliquando hoc publico & privato Reipublicæ statu possimus ex Polonia (ut in alijs factum Regnis) eos expellere, quamvis id enormissimis contra Deum & sangvinem Christianum sceleribus promereantur. Tam altas hic radices fixerunt, ut Angelo nonnisi opus sit cum gladio flammeo,

qui

qui illos ex Polonia, ut primos Parentes ex Paradiso ejiciat. Ex alijs verò circumstantijs Ægyptus potiùs, quam Paradisus dicenda respectu Judæorum Poloniæ. Si etenim statum & conditionem nostrorum Judæorum cum alijs, qui per cæteras nationes dispersi sunt, comparaverimus, perindè esset, ac Dæmonem Angelo æquiparare velle. Plus quidem reperitur ejusmodi quisquiliarum in Regno nostro, quàm alibi, ast in loco contemptibili & quasi sub scamno in angulo. Ego certè fugerem ex tali Paradiso, si cogerer sic luto conspersus incedere, tales vilibus quoq; hominibus extorsiones solvere & ab ipsis quoq; pueris persecutiones sufferre. Id tamen est certum, quod sordida avaritia & Regina pecunia sordibus istis donet formam, obtineantq; apud quosdam non modicos favores. Verùm, quod passim audeant patrare enormia tyrannidis & horrenda sacrilegiorum contra Deum & sangvinem Christianum scelera, quæ meo judicio tamdiu non impedientur, donec illa Legibûs cohibeat Respublica, quatenûs (prout olim in Hispania) pro commissis puerorum lanienis, tum pro contumelijs Deo nostro maximè in Sanctissimo Sacramento illatis, non tantum factores scelerum, sed etiam Synagogæ, quibus hi insidiatores subsunt, eidem pœnæ subjaceant; id enim absq; consilio & instinctu seniorum Judaicorum fermè fit nunquàm. Certùm, quod adimendo Christianis propinationes, mercaturas, aliosq; vivendi modos, ceu tineæ Civitates arrodant; Non negatur & id, quod ad circumventionem Christianorum in ipso inferno distillatas inventiones habeant, verum est, quod in pluribus locis, Arendis, ac potestate super Christianos vix non Ægyptiacam servitutem in pauperes subditos inducant, quæ omnia magno apud mundum probro, apud Deum verò gravi us nos pœnis exponunt. Attamen hi, qui in eo nos cavillant, si sci-

seipsos scrutentur, eidem censuræ se obnoxios esse reperient. Utrùm enim non legimus, utrùm non audimus, plura alibi ejusmodi, velut apud nos committuntur, Judæorum scelera; deniq; per gratiam DEI, Judæi apud nos non tantis cumulantur favoribûs, ut in Academijs nostris (prout alibi fit) ipsos ad Doctoratus promoveamus, aut scabiosa capita Laureis, aut pustulatos digitos annulîs, virtutis & honoris indicibûs insigniamus. Apud nos enim inter cæteros alios, quos à nonnullis obtinent favores ac prærogativas, primum & principale habent Judæi ornamentum, quod cingulo tenùs, aut etiam ad collum luto immersi fætidam scabiem ad mille passûs redoleant.

Ostenditur per Libertatem non fieri in Polonia infernum plebejorum.

52. Ad hanc calumniam contra illos, qui sunt glebæ adscripti *Andreas Fredro Castellanus Leopoliensis in fragmentis politicis* ita respondet: *Aliqui ab Occidenti de Monarchia Scriptores in nostram plebem, tum & ruricolas absolutum Dominatum velut aliquid ignobile & horrendum nobis objiciunt. Quid ergo indè inferent, quam ut nomine Monarchiæ & absolutæ potestatis vim tyrannidis includi velint, & proindè Monarchicum statum, dum sub suis Monarchis vivunt, tacitè lugeant, aliena sub invidia aut titulo, accusaturi sua, dum palam loqui non licet; Acerbane loquor? minimè, nam proportio eadem est non personarum, sed Juris, dum quisq; è nobis Polonis sui vulgi & bonorum arbiter quodammodo & absolutus Monarcha est. Quanquam noster Dominatus in plebeculam intra Leges conscientiæ est, dum scit quisq; è ruricolis, quid Operis septimanatim, quid tributi annuatim Dominis pendat, ut per æquitatem*

tatem nihil suprà liceat extorquere; si verò sint aliqui æquitatis violatores, tàm iniquo Jure tyranni esse possunt in suos, quam in vos vestri, si eveniant mali, cum Annales vestri passim malos ac bonos Principes vobis fuisse palàm testantur; Eoq; graviori in vos servitute, quo magis in ingenuos illa exercetur; nostra verò plebecula nisi ad inferiorem parendi sortem nata est, nec totam Libertatem liberè novit.

53. Quò ad alios autem Plebejos, Mercatores & Civitatenses, prorsùs ignoro, quod ipsis in Polonia causet infernum. Haud paucæ apud nos sunt Civitates magnis gaudentes Privilegijs à Republica concessis, quæ præter id, quod ratione fundorum Civitatis Jurisdictioni subjectorum, Nobiles in suo subsellio judicent, insuper certis in casibus in eosdem Nobiles juxta Statutum Thoruniense criminales etiam possunt extendere pœnas. Mercatores verò, alijq; commercia tractantes, potiùs Nobilitati gravem imponunt servitutem, adeô, ut quàmvis Nobiles Polonos respectu eorum Libertatis mundus nominet Reges Regum, nihilominùs respectu hujus servitutis meritò appellari possint more Papali Servi servorum, dum non hoc, quod dignum & æqvum est à mercibus præcipuè ad portus devectis recipere, non hoc, quod dignum & justum pro rebus apud illos coemptis solvere coguntur. Audivi à quopiam Scoto, qui in Polonia collectis divitijs, in eadem fixit domicilium, quod illum juvenem adhuc in Poloniam parentes expediendo narrabant hic arbores producere aurum, & unumquemq; exterorum, modò non sit piger, ditescere posse. Verùm proindè fatentur, dum Poloniam *aurifodinam Mercatorum & peregrinorum* nuncupant; Si verò homines civitates incolentes ad pauperiem deveniunt, non id causat Libertas Nobilitatis, ast ipsorummet luxus in compotati-

 oni-

onibus, epulis, ac vestitu. Haud diffitemur, quod apud nos Nobilem aut Dominum subditus præsertim hæreditarius (in Regalibus enim bonis, quæ Nobiles possident, aliter fit) adcitare ac cum illo Jure agere nequeat, nam hoc foret verus infernus servitutis, quem nos exteris haud invidemus. Et quia hæc Libertatis nostræ prærogativa videtur ipsis esse infernus, non mirùm, quod stygiô oculo illam intueantur.

Ostenditur per Libertatem non ita Poloniam fieri Cælum Nobilium, ut sit purgatorium Regum, aut Limbus Ecclesiasticorum.

54. Adversæ Libertati nostræ gentes invitè ferè beatos non hac sorte fatentur dum Poloniam propter auream libertatem Cælum Nobilium nuncupant, hinc ergò inferant, àn non eo ipso ad hanc rationabilem consequentiam ansam præbeant liberis Polonis; quod siquidem non negant Libertatem ex Polonia Cælum nobis efficere, etiam fateantur, necesse est, servitutem servilibus Nationibus ex earum Regnis & Imperijs efficere infernum.

Quod attinet Nostros Monarchas seu Reges illi apud nos in hoc Libertatis Nobilitaris Cælo sunt Soles Serenissimi, ast non ita, ut apud serviles Nationes, ubi hæc majora Sydera juxta Poeticum Commentum pascuntur minoribus, iisq; fortunæ & vitæ lucem pro libitu adimunt; sed ita cum libera gente procedunt, ut Sol cum subjectis Astris in Cælo, qui illuminare, & felices facere potest, opprimere autem & ecclypsare nequit, exceptô si alicujus demerita ceu interpositio terræ intercesserint, tunc enim idq;

ordi-

ordinario Juftitiæ curfu Luna aliqua Ecclypfim pati cogitur.

55. Habet partem veri fabula, quæ afferit folem aliquando cum Vento contendiffe, quinam eorum viatorem in partes fuas faciliùs inclinaret, id eft cujus perfvafione citius veftem, quam portabat, deponeret. Aggreffus eft primùm ventus, aft fruftra vires exeruit, quò enim magis turbinosô ftatu illum infectabatur, eò viator fortiùs vefte fe involuebat, illamq; detinebat; dumq; ipfum commodè ire non permifit, declinavit ad locum quietiorem, ubi tamdiu delituit fedens, donec ventus re defperatâ ceffaverit. Tum demùm fol ferenis calidifq; radiis fparsis fenfim viatorem calefacere, fuôq; calore magis urgere cæpit: Hinc ille veftem difcingit, & refibulat, ac demùm brevi deponit, baculoq; poft fe appenfam portat. Tale eft propriè noftræ quoq; Poloniæ liberum Imperium: Libertas eft nobis Cælum, in hoc verò Cælo imperantes liberæ genti Reges nequeunt effe, nec poffunt, nifi tales foles. Ad ejufmodi Cælum, ad talem libertatem fatiùs ipfi, qui nos cavillant, afpirare deberent, non autem nos ad infernum fervitutis fuæ (ut mali genij facere folent) pertrahere.

56. Hoc verò Libertatis noftræ Cælum eò eft fupra alia Catholica Regna beatius, quod Sereniffimo noftro Soli, ex Regali Sacerdotio Primatem Regni ceu Luminare minus in Vicariam Majeftatis focietatem adjunxerit, aliofq; plures ex hoc facro Ordine veluti quædam primæ magnitudinis aftra ab utroq; latere collocaverit. Invidô itaq; livore imbutæ fervilium Nationum pennæ ineptê Poloniam Orbi ceu *lymbum Ecclefiafticorum* repræfentant, in quo quantum virtuti & veritati detrahant, confulant ipfi propriam confcientiam. *Hæc illa Polonia* (dicit nofter *anonymus* Polonus) *quæ à primo Chriftiani Nominis exortu in prænomine Ducalem titulum, fummi honoris &*

præ-

prærogativæ argumentum Spiritualibus concessit. Xiądz *enim olim Polonis idem fuerat, quod hodie Dux aut Princeps; unde in antiquis Regum titulis legimus:* Xiądz Litewski Mazowiecki, *locô* Xiąże Litewskie, Mazowieckie: *& hæc illa Polonia est, quæ prodigali suâ in Ecclesias, earumq; ornamenta Liberalitate omnia ferè Catholica Regna superat adeò, ut profusam hanc beneficentiam interpositâ Authoritate Sedis Apostolicæ per Legem publicam restringere fuerit necesse. Hæc illa Polonia est, quæ Statum Ecclesiasticum amplissimis Privilegijs exornavit, Libertate Equestri Ordini exæquavit in omnibus, prætulit in multis. Hæc illa Polonia est, quæ collum illud nullius jugum ferre unquam solitum, illas manus Libertatis vindices, illum animum ad imperandum natum Romanis Pontificibus submittit humillimè. Hæc illa Polonia est, quæ Virginis Beatissimæ honore usq; adeò afficitur, ut nullus unquam Polonorum adhuc exstiterit, qui Nomen hoc Sanctum MARIA in suam prolem transferre ausus fuisset; Imo in Regina quoq; sua Volodimiri Russiæ Ducis filia Casimiro I. nupta pati id Poloni non poterant, adeoq; non prius coronam ejus capiti imposuerunt, quàm illa Nomen MARIA cum Dobrogniewa commutaret.* Haud frustra *Dombrowka* quæ *Mieciſlao* Nostro, & unà omnibus Nobis Polonis Catholicam fidem attulit, viridi semper sertô quamvis juncta matrimonio, (ut testatur historia) utebatur. Augurium id Sanctæ Matronæ fuit, Catholicam fidem, ac cum illa Spiritualem Statum speciali suprà alias gentes modo in Polonia semper florentes fore.

57. Verùm equidem est, quod bona Spiritualia habeant sua præsertim titulo stipendiorum pro militibus onera, ast ubi in Orbe sunt immunia à similibus si non à gravio-

viribus? Scimus alibi vix subindè non à Breviarijs gabellas exigi. Benè quidam ex Spiritualibus dixit: *Nos militibus concedimus panem, ast Libertatis pietas Catholicorum dat nobis marcipanem.* Verùm est reperiri tales in Polonia, quorum aciem decor ac opes Ecclesiarum ut olim Judæ Proditoris perstringunt, & qui simile quid Dyonisio Sycilix Tyranno si non faciunt, saltim dicunt: Ille aliquando Athenis templum visitans, avaritiam, Sacrilegumq; animum astutô hôcce palliavit prætextu. Vidit Statuam seu idolum Jovis palliô aureô vestitum, & dixit: *ad quid hoc pallium Jovi hyeme non calefacit, æstate verò gravat,* jussitq; illud detrahi. Conspexit apud Dianam, Arcum, aureasq; sagittas, & inquijt: *à tam longo tempore hæc Dea arcum tenet, & nec semel jaculata est; nec spes est, ut aliquando jaculetur ad quid illi his opus est? jussitq; auferri.* Apud senem Mercurium vidit aureum malum in manu, & ait: *Iste Senecio aut comedet hoc pomum, aut non comedet? si non comedet, non eget illo; si verò comedet? ad extremum dentes sibi tam duro cibô confringet,* jussitq; adimi pomum. Advertit in extensis manibus Fortunæ Deæ aureas splendore Coronas, aliorumq; diversorum honorum insignia, dixitq;: *Ecce liberalis Dea hæc omnia porrigit, hi vero, qui huc frequentant, adeo sunt simplices, ut accipere recusent,* sublatisq; hîs omnibûs ex manibus, pro dono gratias egit. Vidit apud Æsculapium prolixam auream barbam, & exclamavit: *senior sane est illô Pater ejus Apollo, & tamen barbâ caret,* jussitq; illam auferri &c. Verùm est tales quoq; apud nos reperiri, qui in congressibus, ac colloquijs malignô dente Ecclesiam, & Ecclesiasticos rodunt adeò, ut quondam Nobilium unus, sed non coloratus Catholicus ad Comitiola tendens, sciensq;, quod ibi Status Spiritualis proscina datur, interro-

gatus à quopiam, quô pergeret, reſpondit: *pro Capitulo*. Nihilominùs id omne intra verborum aculeum hæret ſtante integritate Statûs Spiritualis & Eccleſiarum, Sapienter quidam altioris Ordinis Senator dixit, quod is pruritus liberè loquēdi in Polonia eſt veluti quoddam vomitoriū Libertatis, quidquid enī venenoſi & acerbi contra Regem, contra Spirituales, cōtra Senatū, contra Officiales Regni, aut alios Miniſtros Statûs nobis ineſt, omne hoc malum evomimus, quandocunq; liberô de illis multiloquiô exundamus, nulli vero ita nocemus, ut nocent aliæ gentes, ubi ob vinculum linguæ hoc venenum tamdiu in abdito latet, quouſq; in Monarchomachiam aut ſeditionem, vel in alia ſcelera nō erūpat.

58. Inſuper plures abſq; cōparatione inter Catholicos Nobiles ſunt, qui in ejuſmodi occaſionibus Aras & Eccleſias contra ſuos Concives ſatis zelosè propugnant. Non unus invenitur, qui ſentit & dicit cum Kochanovio:

Culpare noſtros haud Patres quiſquam poteſt,
Quod Clericalis plurimîs Status bonîs
Donatus amplè: ſine cum factum ſacro
Bonoq; noſtro; Civibus noſtris enim
Ceu hoſpitale Status is nobis venit,
Ut præmiorum cenſus in promptu foret.

Haud unus eundem ſpirat Entheum & virtutem, atq; ille, quē olim in Comitiolis Luceorienſibus hoc ſenſu perorantem multi audierant: Haberem, inquit ipſe, quæ contra Spirituales detonarem, aſt dum Anteceſſorum noſtrorum Epitaphia pendenteſq; haſtas, vexilla, ac cum illis bellica arma ſpecto, metuo, ne gladios & haſtas ſuas arripiant, atq; ex Eccleſia, quā illi Catholicâ devotione, ſangvineq; propriô defendebant, noſmet exturbent. &c.



Errata ſic Corrigenda.

P. 6. l. ỳ. 26. cum, l. eum.
P. 8. l. 28. Veneris, l. veneris.
P 9 l. 27. debent, l. debeat.
P. 10 l. 5. pupuláres l populares.
P. 16 l. 27. vceneno l. veneno.
P. 19. l. 27. Reſpablicæ, l. Reſpublicæ.
P. 24. l. 8. dum l. duos.
P. 25 l. 22. concedant l. concidant.
P. 34. l. 2. plebi l. plebs. 22. oppotet, l. opportet.
P. 35. l. 31. vetia l. vitia.
P. 51. l. 21. ottia l. otia.
P. 53 l. 4. Sacrdotales l. Sacerdotales. 12. eſt l. ſed.
P. 52 l. 3. inquietes l. inquietos.
P. 53. l. 10. anotomia l. anatomia.
P. 55. l. 9. horrendum l. horrendsm.
P. 56. l. 31. æpulalitas l æqualitas.
P. 58. l. 13. ſedula l. ſedulo.
P. 60. l. 16. expertentia l. experientia.
P. 66. l. 4. aſſe l. eſſe.
P. 68. l. 26. ſolatium l. ſolarium.
P. 69. l. 25. Cadidatis l. Candidatis.
P. 71. l. 14. quandam l. quadam.
P. 75. l. 18. alis l. alijs.
P. 76. l. 7. Otdo l. Ordo. 9. Ltbertadis l. Libertatis.
P. 82. l. 4. Monſtrorum l. Monſtroſum.
P. 92. l. 20. enim plus l. enim ſe plus.
P. 98. l. 23. ut l. at. 24. meum l. meam.
P. 107. l 12. quin l. quod.
P. 109. l. 22. coaluerunt l. coaluerant.
P. 116. l. 13 Libertatem l. Liberalitatem.
P. 129. l. 32 ta l. ut.
P. 143. l. 143. Libertatis l. Liberálitatis.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0016200

